Gryphii Andreae: Olivetum libri tres.

Lesnae, typ. D. Vetter 1648.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002475

ANDREÆ GRYPHII.

OLIVETUM

LIBRI TRES





SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI atq; DOMINO,

D. FRIDERICO GVILIELMO S. R. IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, MARCHIONI BRANDENBURGENSI, BORVSSIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNÆ & CARNOVIÆ IN SILESIA DVCI, BVRGGRAFIO NORINBERGENSI, PRINCIPI RVGIÆ, COMITI MARCÆ, RAVENSPVRGI & RAVENSTEINII DOMINO &c. &c.

Domino ſuo clementiſſimo,

Vitam, Salutem, Proſperitatem.

Sereniſſime atque Potentiſs.

PRINCEPS.

Domine Clementiss.

PAcis Olivas, poſt tot bellorum exundationes affero, ſed illius cruore madidas, qui ad reſtaurandum collapſi generis decus, amoris tantum ſui magnitudine du-

cebatur. Huc ſaltem oculos, ſeculi vertigine caligantes, defigere licuit; Cùm in ea tempora natum me deprehenderem, quibus advortere mentem neceſſum fuit, conſtantiſſimo exemplorũ. Adde, quòd ab aliis hactenus arcuit animum pulchritudinem gloriæ & curam poſteritatis vehementius appetentem, illorum caſus, qui libidinem aſſentandi, dum procul habent, atque acrius cladibus noſtris iraſcũtur; in nullum rei poſt uſum, ambitioſis tantum vulneribus inclaruerunt. Scilicet ſpectare coactos ſcelera, ac ferre nouiſſima ſeruitutis, memoriam cum voce perdere decuit; quo functi æſtimaremur, quos ſpiritu atq; vitâ frui nefas videbatur. Subeat quippe

ingenia diuinioris ſcientiæ dulcedo! dum ſacra propter, quicquid ſanctum atq́ pium, non templis, ſed Orbe & mortalium commerciis exegimus: Aut conſtituamus leges in facta, dum feroce gladio refellimus, reſcindimuſue tot pactorum quondam fide ſtabilita. Polluimus firmandis religionibus intenti, innocenti ſanguine delubra, ac diuulſis myſtarum viſceribus cumulauimus aras. Steterunt acies ſub ipſis tholis, & quo videremur ſecuri adverſus DEum: ſtupris, inceſtu, rapinis, ſqualluere adita. Horrebant tumbis ac parietibus erutæ cadauerum reliquiæ, ſoluti in cariem artus, ac marcidæ ſitu carnes; quas auro ubiq́ inhians furor, inuitæ luci oſtendit, donec ſiden-

dente semiruta fornicũ mole, suffossi parietes absconderent insepultos. Arsere flammis urbes, quas, dum ipsos ignes cum præda victor diripit; civium cruor restinxit. Procubuere fessi ærumnis senes, qui nouissimum spiritũ ætate decursa ad contumelias ac tormenta parricidarum durauerant. subiere mortem fæminæ, frustra conjugum necessitudinem & innoxiam liberorum infantiam deprecatæ. Compressa cæsos juxta parentes virgo, exhalauit animam inter ferales amplex⁹, aut telo viam reperit, qua exiret carceres incœstos. Occidit imminentium ignara proles, hoc uno felix, quod properata nece excidium Patriæ prævortit. Plurimùm damni in

oppi-

oppidis, vaſtus atq́ deſertus ager, plena latrociniis itinera, nihil uſquam ſecretum aut clauſum, & cum non iniquius cœlum ſpes anni interciperet; nuſpiam commeatus. Nam quid memorem, qui ſe miſerandis alimẽtis inter ſupplicia vivendi detinuere? cum (qui nec feris mos,) ad crudeliores Thyeſtea dapes urgeret pænuria edẽdi. Cõtigit ergo, quod olim poſteri factum negent, aut execrentur; ex ſpes vitæ mater huc ferociæ deſcendit, ut prolem inter & affectus dubia, quem morti damnet; non paſſa ſobolem negatis alimentis extabeſcere, præoccuparit parricidali dextra carnificis officium ac reluctãti ſtomacho ingereret, prolis ex ſe genitæ divulſas ac tabo ſtillantes ſe-

semicrudis carnes, suffodit sepulcreta fames, inhiavit gabalis infamibus, & sontium suppliciis pasta creuit. Multi semianimes ossa atq; bestiarum sordes ore complexi expiravère: cõvulsis artubus alij versi in furorem fœdo exitio puteos atq; infame præceps repererũt, æquè infelices ijs quos relinquebant superstites ac morituros. Incœstus tot mortibus aër morbis ac peste, omnem sexum, ordinem, ætatẽ depopulabatur; promiscui summatum atq; plebis interitus, atq; qui curando funeri adstitere, sæpè eodem feretro vel inuidenda sorte elati, cum tandem Libitinam ratio deficeret, nec superessent qui cespitẽ injicerent extinctis. Pauci inter hos ruentis Germaniæ fragores educati, quid aliud operæ

adhibere potuimus, jam non per temporum intervalla ac spiramenta cadenti nisi lacrumas? aut quô remedio sustentare spem? quã studiis, quæ intra privati angustias detrusit publicus furor. Quibus tamẽ multum claritudinis adfulget SERENISSIME *atq;* POTENTISSIME PRINCEPS *quod grandia inter atq; augusta curarum momenta & his præsidium sufficias. Nec enim infrà magnitudinem Tuam censes, artibus imperandi, scientiarum elegantiam junxisse, et quæ alibi fermè aut nulla sunt, aut miserabili clade attrita literarum emporia,* AUSPICIIS *atq;* AUXILIIS *Tuis sub Te steterunt, audentq; eminari dignitatem, ac seculum* PUBLICA SECURITATE *ac* MENTI-

UM CULTU florens, TE PRINCIPE, qui rem difficillimã, asperrimis temporibus; quieta atq; tuta Tuis omnia præstitisti. Nec spem modo ac votum hæc sibi Tuorum devotio; sed ipsius voti fiduciam ac robur assumit, Cum documenta abunde dederis, Animi ingentis, cui facile atq; pulchrum, quicquid aliis arduum effectu ac gloriosum Reipublicæ, Et qui non nisi multarum rerum experientia cognitos legit ad labores. Cæterũ in arcto referre Virtutes Tuas, ac discrimina pro salute nostra; injuria fuerit decorum Tuorum, Hærebunt illa in æternitate temporũ, fama rerum, posteris libera nec in gloria assiduitate narrata. Hanc interim arrham, deuotæ mentis SERENISSIMÆ TUÆ CEL

SITUDINI dico, dum uberiorem materiam, et quam in rem sit tradi, conquiro. DEUS PACIS, DEUS CONSILII, cui multa debet, plura debebit SERENISS. TUA CELSITUDO. SER. T. Celsitudinem, ILLUSTRISSIMAM CONIUGEM, ac spem votumq́ Patriæ, EXPETITAM diu PROLEM; VOS, è quorum Vita, tot populorum Vita atq́ incolumitas dependet; Sospitet, & quæ utilius sit VOBIS excepisse, nobis optasse, largiatur.

Fraustadij Calend. Sept.
A. cIↄ Iↄ c XLVIII.

Quod animitus precatur.

Sereniss. T. Celsitudini

devota manus

ANDREÆ GRYPHII.



SERENISSIMAE ac ILLVSTRISSMAE,
PRINCIPI
ELISABETHÆ.
COMITI PALATINÆ AD RHENVM &c. &c.
DOMINAE SVAE CLEMENTISS.

VLtima conantis, Decus admirabile mundi,
Arctior Ingenio quam stupet ipse Tuo,
VIRGO DVCVM GENVS, innumero GENVS ordine REGVM,
Digna animo Reges quæ meliore Regas:
Seu rè clara tenent diffusi sidera Cœli:
Seu radio Terræ mobile pondus obis.
Seu Tibi cecropio rorantes nectare Chartæ:
Romula seu Latio Secula meile placent,
Seu potius primæva Sacri momumenta TONANTIS
Volvis & arcana puncta notata manu:
Hæc quoque, sed facilis nemorum secreta parumper
Respice. Sub nemoris respice rupe DEVM
Hic oleis Tibi frondet humus: colat illa profano
Quas posuit quondam Rustica Pallas agro!
His pretium facit ipse DEVS prece, Sanguine, vinclis,
Dum legis hæc; Pretium TV facis ipsa DEO.

Serenißs. Celsitudini

T.

deVotus

ANDREAS GRYPHIVS.







ANDREÆ GRYPHI,

OLIVETVM.

LIBER PRIMVS.

SAnguinei mœroris opus, motumque barathri
Agmen, & horrenteis luctus, vinctamq; Tonantis
Progeniem; tristi frontem squallente cupresso
Pandimus. Huc sacro rorantia membra cruore
Prægnantesque oculos lacrumis adverte supremi
Nate Patris, liceat trepido mihi cernere vultus
Pulueribus taboque graueis, defessa catenis
Brachia, viminibusque manus post terga retortas.
Tuque adeo, par Flamma DEO, sincera voluptas
Cælicolum, spirantis Amor Sobolisque Patrisque
Æternus. Fons iugis opum, Castique pudoris
Ardor, & eloquij fulmen Vatumque perennis
Arbiter: innumeris quem circum millibus ambit
Aligerum non victa acies, quem Tartara diris
Luctibus, & trepido horrorem testante tumultu
Suspiciunt, si rite Tuum Sanctissime Numen
Postremus veneror servorum, humilique fauentem
Corde voco; si tanta sacris arcana reclusit
Afflatus vel quondam animis qui dira laborum
Tormina, letificosque crucis cecinere dolores;
Si mea Te sine mens furua caligine noctis
Cæca, labat; correpta tuis precor ignibus vre
Pectora, vibratisque meas dispelle tenebras
Dulce iubar radijs, ventoque per alta carinam
Æquora ad optatos portus impelle secundo.
Postquam res hominum stygis annitente caterua
Concidit, & vetitum cœlo indignante, profanæ
Corripuere manus pomum, domus ardua mundi,
Icta fragore gravi intremuit vastusque procellis

Sulphuris, & rutilis incanduit ignibus æther,
Dum gladios armata truces, fulmenque facesque
Luciferis delapsa globis Vindicta nocenteis
Terruit, & miseris fœdam reserare mephytim
Tartareas, fera regna, domus, Erebique cauernas
Institit; extemplo tenueis vapor ater ad auras
Euolat, indomitæque ruunt per opaca fauillæ
Nubila, iam tumido glomerata volumine flamma
Et phlegetonteo vortex Acheronte refusus
In sonteis vndare animas, non vlla salutis
Omnia dum trepidam metuunt elementa ruinam
Spes micat; æterni sed enim divina Tonantis
Progenies, mæstis animum advertisse cateruis
Sustinuit, generisque inter fera crimina nostri,
Et iustos Patris incensi diuulsa furores
Dum putat, & dubiam rapiunt fauor iraque mentem,
Deuictam superat pietas, sic nempe viator,
Ignotæ sobolem matris, quam dura reliquit
Enixam temerè in scopulis, vbi sanguine fœdam
Conspicit, ac patulo nudam cœlum ore trahentem;
Indignum miseratur onus, mox acrior vrget
Incautum stimulis Natura fidelibus, & iam
Alitibusque ferisque & certæ obnoxia morti
Membra leuat, blandæque refert nutricis in ulnas.
Haud alius calor insolita dulcedine Numen
Mulcet, & arcano teneras cremat igne medullas,
Non miseros, non ultra acreis spectare dolores
Fas habet, addictos verum crudelibus Orci
Eripuisse cupit furiis: se sponte rigori
Projecturum animam in sontem, se debita culpis
Supplicia atque omnes luiturum sanguine pœnas,
Et diræ fera tela necis, testatur; Olympi
Exulibus modo reddat opes. Iamque ardua rerum
Culmina, & igniferum fatis poscentibus axem
Deserit induiturque hominem, gestitque receptam
Pauperiem duros inter tolerare labores,

Et sannas

Et sannas pro laude pati, nunc ulcera membris
Sordida, tabificasque fugantem corpore pestes
Admirata dies stupuit; nunc pallida miris
Ora modis haustosque placet marcoribus artus
Ad priscum reuocare decus; iam triste sepulchri
Squallentis penetrare cavum, depletaque fusi
Stamina, & exactæ cita pensa reuoluere vitæ.
Quid legis documenta nouæ? quid aperta salutis
Ostia, quid monitus, vibrantemque aurea linguam
Fulgura, sidereas iaculantia fulgura flammas?
Quid freta? quid terras Phœnicum, & fortis Idumæ
Littora, quid nemorum latebras, & inhospita monteis
Samariæ, peragrata canam? scopulosque liquentis
Genezari, cultasque pijs hortatibus urbes?
Donec summa dies Solymæis mœnibus ipsum
Reddidit, Isacidum quâ gens properata farinæ
Azyma solemnemque parat, torrentibus agnum
Ignibus, exemptosque iugo meditata parentes
Niliacos fasces, & seui dura Canopi
Agmina, vorticibus subitis absorpta recenset.
Continuo turbata genas Vindicta latebris
Prosilit, atque moras pridem indignantia Iusti
Corda tumens petit ora DEI, nitor aureus ambit
Præcipitem, frons erranti speciosa coruscat
Fulgure, sidereusq; oculis micat acribus ignis.
Intactas, quid membra, niues? quid eburnea mirer
Pectora, & inuestem tunica refluente papillam?
Ancipitem crispante manu gladiumque faceisq;
Funereas, humero decurrit ad ima sinistro
Obliquumque tegit lateris chlamis inclita textu
Sidonio, innumeris opus admirabile gemmis.
Æternoque adamante rigens. In stamine Sodom
Vertitur, hic rutili, simulatis nubibus imbres
Sulphurea bacchante hyeme, ac squallentibus auris
Decurrunt, fractæ eructant incendia turres
Grandis, vastatrix nitidis imitata pyropis

Flamma crepat, tremulâ fumum variante fauillâ,
Robora dissiliunt lapidum, collapsa putares
Tecta, theatra, domus, & picta residere canos
In cineres monumenta Ducum, raptimque corusco
Fulmine tela quati, dum mota per æthera vestem,
Sibila disiiciunt. Faciem cultusque severa
Maiestas terrorque decent. Sic nocte subactâ,
Cum piger inuerso languet temone Bootes
Et teneri exultant per aprica rosaria venti,
Fulget acidalij lux floris, & æmula vultus
Confundit Matuta tuos quam læta tenebras
Exuperes, victoque gemens te Lucifer astro
Suspiciat: nitet illa suis umbrata frutetis
Purpureumque caput relevat vitreoque madentes
Rore comas, hirtis sed amœnum vepribus ambit
Spina decus, lentæque minaci cuspide sentes.
Qua suprema patet stellantis regia mundi
Et puri sine sole dies, sine mensibus anni,
Temporis atque expers tempus, sine felle Voluptas,
Stat thronus Æterno sedes firmata Tonanti,
Vnde hominum generi, & cœli felicis alumnis
Et quas sub stygio diuexant carcere pænæ
Mentibus, & tumulis quos nox tenet alta sepultos
Rectorem Dominumque probat. celsissima summo
Diffulget splendore domus, quem nulla sereni
Fax radiante tremore poli, non annifer æquet
Phœbus, adorandum circumdant mille tribunal
Millia pennigerum, celeresque ad singula, nutus
Obseruant peraguntque DEI, pars carmina nervis
Accinit, immensum pars admirata Parentem
Expleri nequit intuitu, septena potentis
Militiæ capita & victo celeberrima Dite
Cum sacra civili flagrarent castra tumultu,
Conspicuum gyro Regem propiore coronant,
Nec non lætitia, & candor pietasque necisque
Hostis Amor, Verumque & vitæ æquæua potestas
Perpe-

Perpetuæ; castique tenax vis ardua floris,
Iustitia amplexu pacem, Pax inclita risum
Occupat, & triplices coêunt in fœdera dextræ.
Hic ut diua ferox, (superi stupuere ruentem)
Constitit, ac solio conspexit Numen in aureo
Agnouitque tuens, ter flexo poplite vultus
Submisit, propius sed postquam accedere iussa est
Incipit: Heu scelerum effrænes exose furores
Si licet, ac iusto nondum tibi vindicis œstus
Excidit, vltriceisque vigil consurgis in iras,
Quod sacrum tam blanda premat patientia fulmen
Conqueror, ah quo cura mei! quo crimina gentis
Indomitæ, quam nulla Tui reuerentia culpis
Eximit? & quonam usque bonus? ecquando nocentia
Terrarum portenta iubes abolere coruscis
Imbribus, obsepto pridem contagia mundo
Stellatas repulere fores, & in æthere clangor
Sanguinis infremuit? iamque ipsa cremantibus ibam
Fulguribus toties damnatum è fontibus ipsis
Exhaurire nefas. Soboles tua Maxime rerum
Obstitit, atque adeò valles descendit in imas,
Quæ tanto par fama operi: quæ digna labori
Gratia? sordentesque animas ac ferrea dudum
Pectora molitur solitis auertere noxis,
Nec quicquam! superos toties renouatur in orbes
Circulus, orbatasque ornant noua germina syluas
Ex quo inuisus, inops, suspecta per oppida duros
Tristis agit casus, nitidi fabricator Olympi
Astrorumque sator. Si cominus ora tulisset
In mediam Zeboim mersamque vndante cateruam
Oceano; starent Sodomæ tellusque refusas
Ignorasset aquas sancti reuerentior æqui.
Quo fortis non cogit Amor? non mæsta fatigant
Opprobria, hostilesque animi! Iamque ardet acerbam
In cruce ferre necem, librataque vulnera lethi
Excipere. vltrices potius ruat omnis in ignes

Orbis, & in nihilum intereant elementa, polique
Machina, dispositas super ingruat ardua gentes.
Ipsa patet rupeis, euulsaq; marmora fundo
Et juga, disjectasq; soli, per vasta natantum
Comminuam scopulos, monteisq; in cærula vertam.
Annue. Tum Genitor, quo fante remota silescunt
Æquora, diffusique tremit domus ardua mundi,
Orsa jacit mediis sermonibus obuia: Fixum est
Quod poscis; ne perge queri, non surda fatigant
Numina mortales furiæ; nec sera nocenteis
Præterit ira reos; sed & hæc præcordia nostri
Sollicitat jactura operis; perit omne Creanti
Quod perit; hinc miseris stat Natum impendere rebus,
Obscænam immeritâ culpam qui morte refellat;
Purget & innocuo selectam ab origine mundi,
Sanguine, progeniem, rogat hoc tellusque polusque
Et pietas, & mitis amor, vetitumque moueri
Quod sanxit jurata fides, nec dum omne propinquat
Decretnm excidio, truculentior ingruet ætas
Sæuior ac scelerum rabies, cum quassa fatiscent
Climata, correptisq; ardebit pontus in undis
Diffissis flammâ specubus, reboante corusco
Fulmine, perq; solum, perq; alta nitentis Olympi.
Interea residens picta super iride censor
Natus, inaccessis recludet operta cauernis
Arcanas renum latebras, cordisque reposta
Scrutatus, precibusq; nihil placabitur ullis.
Tu feras nimium lacrumas exosa, nocentum
Agmina, perpetuo rutilantibus igne caminis
Addices, orbi jam non infesta piato.
Hactenus, & valido timefecit sidera nutu
Numen at effatas voces adamante notarunt
Candor, & haud dubij custos Alithea futuri.
Tristor intèrea morituro lumino mundi
Occiduas, loca senta domus, sol præpete curru
Aduehitur, jam mæsta poli per inania flammæ
Nimbos

Nimbosa face languescunt, hebet aureus atra
Hesperus in nebula, vix diluit ipsa tenebras
Quamuis e solida despectet imagine pontum
Siderei Regina chori, cum Dia Tonantis
Progenies suprema suæ post gaudia cænæ,
Sanguinis & sacri pateras, jam certa laborum
Certa necis, veterum meditans oracula vatum:
Tormina luctificasq; cruces mortemq; pudendam
Expauit titubante animo. Sic proxima matri
Fæmina, supremæq; grauis sub pondere lunæ
Pectore dum saliente uteri tumefacta dehiscit
Sarcina, præsentis medio discrimine lethi
Palpitat, ambiguæ multum diffisa saluti.
Qua iuga feruenteis cumulata reflectit in Austros
Excisis Solyme scopulis, prope mœnia rupes
Ardua multiplici consurgit in aera cliuo,
Subter aquæ dulces resonumque per aspera riuum
Palladio evolvit redimitus germine Cedron
Et celeri secat arua vado, longumque vagatus
Prata per, & nemorum obumbrante cacumine valles
Auroræ contra faciem, crescentibus vndis
Spumeus exceptat Siloen, subductaque templo
Stagna boum pecorumque sacro diffusa cruore
Hinc gemino citus accessu glomeratur, & urbem
Et colles oleâ fætos, palmisque virentes
Diuidit, haud sterilis tenui discrimine ripæ.
Vltra, mite solum, Bacchique opulenta superbit
Gethsemane, & densis glebam vestitur olivis.
Illic læta comas myrtus, gracilique cupresso
Fortior enormis cedrus, nec pondere victum
Robur, & æternæ felici germine lauri.
Pubescunt virgulta rosis, humus alma ministrat
Sponte crocos, prasinumq; nitens diffundit odorem.
Nec minus innumeræ vario certamine ramis
Insultant passim volucres, queruloque nigranteis
Demulcent cantu tenebras, aut blanda salutant

Sidera, vel reduci applaudunt ſuper æthera Phœbo,
Huc ſe cum ſocijs deuexo veſpere IESVS
Tranſtulit, erranteis ceu vaſta per avia Paſtor
Sollicitus cum quærit oues, nil furua moratur
Nox operum ſecura quies, nihil imbribus aer
Squallidus, aut nigræ denſa caligine ſiluæ;
Quin ſubitus ruat, amiſſas reuocare bidentes,
Ipſe diu curis animum rapientibus æger,
Et Vatum monitus, vicinaque mente reuoluens
Funera cum gemitu dulces affatur alumnos:
  Infernum calcare ducem, ſceleratáq; mundi
Flagitia, & duros culparum abolere reatus,
Conciliare DEVM terris, decreta nocentum
Supplicia, extremumque adeò perferre laborem
Aggredior: me mille necis diſcrimina, mille
Expectant horrorum acies, & quicquid amarum,
Infandum, graue, triſte, ferox vel Tartarus antro
Occulit, emot que creant portenta furoris
In caput omne meum recidet, lacer vndique flagris
Terga, cruentatusque genas, coecoque reuinctus,
Vulnifico laniante rubo caua tempora, palmas
Diſtortoſque pedeis, divulſaque corporis oſſa
In crucis extendam thalamo, moriturus, & expers
Subſidij, flagrante Pater dum concitus ira
Æſtuat, & noſtro illudit gens torua dolori.
Dum comites procul acer agit, geliduſque profundas
Diſijcit in latebras terror, ſtupefactaque nutant
Pectora. Vos & vos animis labentibus, eheu!
Diffugietis, & impliciti ſecreta repentè
Tegmina & occultas antrorum optabitis umbras
Sic teneri rapiunt curſum per aprica bidentes
Et querulis vacui regemunt balatibus agri,
Prædonum cum turba feris metuenda ſariſſis
Irruit, ac crebro Paſtorem vulnere multat.
Interea funeſta quies præcordia letho
Merget, & in triduam cludet mihi lumina noctem

At ne cede malis, quamuis truculenta minentur
Fulgura, luctantisque tremant freta turbine Cauri,
Gens mea, nam tumuli Victor, baratrique necisque
Euersis stygis imperijs, ac Dite subacto
Aspiciam lætos hilaris, nec plura dolores
Concessere feri, pressoque obmutuit ore.
Tum Petrus. Ten DEO Nate? ten Christe relinquam
Segnis ego? turpique caput seruare latebrâ
Perfidus instituam? procul hoc mihi pectore terror,
Exulet, ambiguos rapiant discrimina, certam
Dira probent aduersa fidem, prius ignea pontus
Sidera fluctivagasque, immania corpora pristes
Æther & aura dabit, prius atra crepuscula lucis
In medias properare vias quam pacta videbis
Irrita, quam lateri sors ulla reuellet amicum.
Haud tulit. vlterius spondentem, ac magna tumentem
CHRISTVS & heu! quam rebus opem? quæ fortia iactas
Pectora? quò validis, dum nondum in vincla lacertos
Poscimur, exultas animis? nunc feruida tuto
Corda vigent, at cum facibus rutilantia cernes
Agmina, & armatas circumuolitare cateruas;
Attoniti glaciante metu pauor horridus ossa
Opprimet, haud strictam iugulo admouisse securim
Vel gladijs pulsasse latus, vel nectere casses
Argutis opus insidiis. Te Fœmina verbo
Franget, & imbellis vultu externare puella
Audebit, non ante nigras cristata volucris
Distinguet cantu tenebras: non ante propinquam
Voce salutabit lucem; quam victus & excors,
Ignotum tibi me, spatiosa ter atria cæli
Terque solum, vigilemque DEVM testatus, & umbras,
Infelix animi iuraueris. audiet æther
Et tellus, nitidæque faces, & Cynthia pernox
Et styx, & miseræ rapido sub gurgite gentes
Et Numen fandique memor, vindexque nefandi
Excipiet periura vafræ mendacia linguæ.

Dixerat

Dixerat. ast olli calido sub pectore sanguis
Acrior admonitu feruet, Sic pinguia vastos
Irritant fomenta rogos, sic arduus amnis
Imbribus, inuoluit scopulos, emotaque fundo
Saxa rotat, veteres & ab obiice fortior alnos.
Vsque adeo ne, fremit, dubio fiducia nostri
Excidit, an rerum potius sine pondere verba
Despicis: insiliant hostes tormenta fatigent!
Destituat comitumque manus, inimicaque crescant
Iurgia, lethales nex exerat ipsa sagittas!
Stat tecum mihi Christe mori. concussa dehiscat
Terra, vel afflatum vibrata tonitrua corpus
Transadigant, si fallo. Petrus vix ista: sodales
Assensu fremuere pari, dulcique Magistro
Deuouere suas in cuncta pericula dextras.
Iamque calens furijs, aurique cupidine Iudas
Heu miser! ad Caipham cursu festinus anhelo
Præcipitat, quo sacra suæ funesta reposcat
Munera perfidiæ, Dominique in vincula tectis
Exciat afuetos horrendis cædibus enses.
Quas voluit brevis hora vices? modo feruidus ibat
Quodlibet exitium pro libertate magistri
Intrepido sufferre animo, vitamque caputque
Ardebat sancta pro religione pacisci.
Illum & corporibus rapidas deducere febres,
Infernum terrere gregem, sacroque tonantem
Eloquio, augustam populis monstrare salutem
Attonitæ stupuere vrbes, nunc omnia vertit
Argenti scelerata fames, quemque ante profundi
Inuictum gemuere acies, amor ater habendi
Perculit. Ergo cadens, & tali saucius ictu,
Paulatim tepidâ, diuinum mente vigorem
Exuit, interea occulto lymphante veneno
Serpit auaritiæ fallax per viscera pestis,
Expugnatque animos, victoque in corde triumphat
Vt cum prima leui tetigit scintilla volatu

Sulphura,

Sulphura, correptoq; micat sub fomite, sensim
Ni prohibes, rutilo fertur glomeramine flamma
In stipulas, celerique ruit super alta fragore
Culmina, & ingenti crepitu tabulata resoluit
Amburitque trabes rapidisque iuuantibus Euris
Crescit, & innumeras eructat in astra fauillas
Ignis edax. Sic fœda lues renuentia primum
Pectora sollicitat, mox membra per omnia virus
Exerit, in soliti retegunt in sana pauores
Consilia, & blandam fallunt suspiria frontem.
Peruigilesque animum curæ, nocturnaque frangunt
Somnia quæ positos numerant ex ordine census,
Et diteis auro gazas, fremit ebrius vmbra
Lætitiæ, sed vana, dies cum spectra refutat
Amissas deplorat opes, & feruidus auro
Inhiat, at titubans reperit ubi nulla modum spes;
Mors placet, insanosque lubet finire dolores
Exitio. sic lethifero cum scorpius igne
Obseptum videt effugium, dirique minantur
Fata rogi, necis exosus crudelia lentæ
Tormina, postrema molitur vulnera cauda
Pectoribusque intorquet acum vitamque morantem
Euomit, ac fuluas incæstat funere flammas
Ecce autem noua lymphato truculenta furorum
Suggerit Alecto stygijs incendia tædis
Relliquiasque animi, totumque è mente pudorem
Emouet; vt Christus Bethanas delatus ad arces
Posthabita Ephremo tectis successit amicis.
Exceptoque Simon gaudet, tantoque beatus
Hospite, diuino se pascit Lazarus ore
Et grates electus agit. Soror ipsa laborem
Vrget, & appositos cumulat studiosa paratus
Excusatque epulas, gaudetque lubentibus omnem
Obsequiis feruere domum. Iam fercula miscent
Alloquio, iunctisque trahunt sermonibus horas;
Cum Marie insignes nitido stellata capillos

Iaspide

Iaſpide, multiplicique ſinus illuſa ſmaragdo
Ingreditur, manibus nardos alabaſtra recentes
Plena gerens, Dominique caput venerata pedeſque
Ambroſiâ, & pingui caſiæ perfundit odore.
Nec mora conſtrictam dextra properante reſoluens
Cæſariem, madidas tergit medicamine plantas
Crinibus, & nitidos ſubmittit ad oſcula vultus.
Extemplo vapor inſurgit beneolentis amomi,
Balſaminuſque ruit per apertas Spiritus auras.
Sic ubi vere nouo Zephyris animata recludit
Chloris opes, halant fragrantibus arua roſetis,
Liliaque & violis miſtus pallentibus Indi
Ruris honos, myrrhæ, & pretioſo cinnama coſto.
Vidit & Eumenidum ſtimulis immanibus impar
Horrendum infremuit Iudas: Cur prodiga tantos
Ambitio laceret cenſus? fumaſſe ſuperbas
Quæſitis lances dapibus, quæ rara calentis
Pignora diuitiaſque plagæ meſſemque Sabæam
Perdere luxuries? tabentibus horrida morbis
Pectora, corporibus quæ larga doloris egeſtas
Et ſitis, & miſeranda fames per acerba trucident
Supplicia, haud equidem minus hæc opobalſama numm
Tercentum vænire; rapi tot egentibus, uno
Crimine ſubſidium. Rabidi ſed atrocia Chriſtus
Ora premit: Cur dure animi nil tale merentem
Increpitas, facinuſque, omni memorabile ſeclo
Obteris invidiâ? quid enim? vos pallida triſti
Ora fame, afflictiſque trementia pectora rebus
Irritamentum largæ pietatis, amici
Deficient? Ego funeſtas iam mortis amaræ
Poſcor inire vias, gelidis vnguenta ſepulchris
Conueniunt honor exanguis decet ille, cadaver.
Macte pia virtute meos quæ fama labores
Nunc, olim, quemcumque feret diffuſa per orbem
Hæc memor ipſa Tui Maria, laudata celebri
Munera, ſupremum plauſu deducet in æuum.

Dixerat. Ille nihil monitis inflexus amicis
Æstuat & fœdo perfusus torua pudore
Lumina subductumque gemens ex vnguibus aurum
Vltrices subito mentem conuertit in iras.
Qualis ab ignaro læsus pede, sibila cenchris
Colla tumet, liuetque oculos, tractuque citato
Terribilem sese vehit atque aduersa veneno
Crura premit, rumpitque cutem fibrasque perurit.
Namque ea cunctantem stygij moderator Auerni
Aduertit rabiemque probat, facinusque pauendum
Orditur, subito scelerum densata pererrans
Agmina, selectis monstrorum è millibus unum
Alloquitur; ruat in terras, & cæca furentem
Dirigat, implicita residem caligine, flammis
Asperet, expediatque modos; queis vltor auaros
Exsaturare potens animos. tremuere loquentem
Perpetuis miserorum vlulata doloribus antra.
Ilicet abrupto rutili vehementior igne
Fulguris exilijt pestis truculenta barathro,
Vipereis crinita iubis, oculosque lituris
Horrida sanguineis, quamuis formosa coloret
Ora decor, niteatque suo frons splendida fuco.
Et summi vigor eloquij, fæcundaque fraudum
Pectora, fumificas manus hæc, manus altera tædas
Concutit, implexisque tenus pro pube chelidris
Desinit in tumidos squammis fulgentibus orbes
Quot volucres mouet ala sinus, quot sæua coruscat
Fax radios; tot fæta dolis, tot inire figuras
Proditio (hoc illi partum per turpia nomen
Crimina) tot didicit temerare furoribus orbem,
Hæc tum depositis passim cum mœnia curis
Nocturna sub pace iacent, per inania Iudæ
Adstitit, & Solymum corpus simulata Maonem
(Cui nuper pulchræ florentem in culmine laudis
IESVM dulce sequi, mox postquam tristior aer
Infremuit, mystæque odiis bacchantibus omnes

Crude-

Crudelem Domini coniurauere ruinam;
Deuicit pauor & ſua ſub iuga miſit amorem,)
Ingeminat; hoc ergo tibi patriæque torique
Neglectiq; laris pretium, poſt ardua reſtat
Exilia, &mœſtis triſtes ſqualloribus annos?
Quo toties iactata tui nunc regna magiſtri,
Et ſolij promiſſus honor? vix in via feſſos
Excipiunt nemora hoſpitio, ſemperque recentem
Parca leuant alimenta famem, vix arida turpis
Ora palus, tenui frigent exangia cultu
Pectora, lux odijs angit, dulcedine ſomni
Inuictum ætherei radijs morientibus ignes
Deſcipiunt, nam quid Domini ſuper iſta reuoluam
Iurgia? nec venit in mentem tibi triſte parari
Exitium? totis Solymi conatibus inſtant
Vlciſci violata ſacri penetralia templi,
Euerſas legum tabulas, gentem tumultu
Excitam ingenti variam? iamque ille ruinâ
Inuoluens ſe teque eadem ſocioſque cruentas
Exoluet letho pœnas, trabe fixus acerba,
Aut lapidum oppreſſus cumulis. nil mite ſenatus
Myſtarum procerumque fremit. Mors certa. propinquis
Eripe te celer oro malis, vel ſi quid amico
Conſilijsue potes animos adhibere; latebras
Pande ducis, tantoque exora pignore, quicquid
Indicium tam grande manet, veniamque domumque
Et pretium redeuntis, opes. I dumque facultas
Nunc precor accelera, ne proximus occupet Onan.
Dixit, & admotis languentem corda ceraſtis
Excitat, ac trepidi ex oculis dilapſa, repente
Pectoris ima ſubit, totoſque furoribus artus
Succendit, rapit ille vias, qua dira cupido
Qua ſtyge miſſa phalanx, quà flammea ducit Erynnis.
Nec dum prima nouo rubuere cacumina Phœbo,
Cum ſcopulis impoſta Sion celſæque Tonantis
Emicuere domus, illo ſpe concitus atra

Euola

Euolat, & sociam gaudens vitasse cohortem
Ter denis ius omne animi mentemque fidemque
Addicit Caiphæ nummis, tantique magistrum
Quo nihil astriferi superum preciosius Orbes,
Quo terræ nil maius habent, quem vasta procellis
Et maria, & positis venerantur fluctibus vndæ,
Quem ditis tremit vsta domus, domus hospita lethi
Proditor inque DEI summum male gratus amorem
Heu scelus! heu crudele nefas! heu turpe cruenti
Flagitium! immani diuendit ad atra Tyranno
Supplicia! ex illoque dolos se versat in omnes
Si qua forte potis magno sine turbine vinctum
Sistere Pontifici, nec enim diuisa latenteis
Vrbs studijs teget insidias, non templa frequenti
Agmine densa fauent: tandem (scelus aptat Enyo)
Multa volutanti faciles placuere recessus
Cedronis, & montes, & gratæ fraudibus vmbræ
Interea blandum simulans obscæna recondit
Consilia, vultuque animos mentitur amicos
Vtnodosa locans nemorum venator in antris
Retia, frondifera pedicas ac vincula quercu
Occulit, & laqueos, vacuaque rigescit in vlmo
Singultus animamque premens, dum missa leonem
Implicitum iusto configat arundo tenore.
Ah miser! ah male! sane videt, videt ille latebras
Pectoris, occultumque nefas; nec funera tantum
Aut lethi tormenta mouent, quam triste profani
Supplicium, nec dura truces molitur in astus
(Posset enim, inualidosque doli vel rumpere casses
Aut caput in reprobum celeres glomerare tonitrus)
Sed mauult sæuum monitis & amoribus hostem
Vincere, nec piguit manibus queis firma Parentis
Stat solidum fabricata domus, purgare ministras
Criminis infandi plantas, quis talia fando
Expediat! tenui lumbos redimitur amictu
Astrorum terræque sator; neglectaque seruis


Officia

Officia. (attonitæ ſuperum ſpectate choreæ!)
Suſcipit, incumbens genubus, tepidaſque ſuorum
Irrorat pedibus lymphas, lautoſque nitenti
Extergit ſtrophio; cuncti ſtupuere ſupremum
Immenſæ pietatis opus, riget aſper & atram
Obdurat Iudas animam, nec amœna loquentis
Gratia, feruenteis qua ſæpe repreſſerat Auſtros,
Et vada, nauifragas æſtu torquentia ſyrtes:
Quà ſurdum tumuli robur, qua vincula mortis
Fregerat, in Iudam valuit, nec amabile pignus,
Fæderis ætherei quo ſe DEVS ipſe fruendum
Porrexit ſociis epulum, medicamen, & arrham.
Sic ubi tetra lues corpus depaſta geniſque
Purpura, & abſumpto macie decor inclitus ori
Decidit, exhauſtiſque oculi ceſſere cauernis
Nec gelidus fruſtra ingeſtam retinere laborat
Venter opem, nil Phœbus agit, nocet arte Machaon,
Incaſſumque terit medicas Podalyrius herbas.
Ergo ubi iam ſceleri non ullum obſtare pudorem
Chriſtus, & immotum ferri in fera crimina Iudam
Aſpicit; erumpens gemitus, miſtuſque ſuorum
Agminibus tandem multis ſibi texta recenſet
Retia, crudeleiſque dolos, nec deſtitit atrox
Exitium & ſonti meritas indicere pœnas,
Omniaque euoluens, hoſtis modo ſupprimit vnum
Nomen. Ad auditum facinus ſtupuere furoris
Attoniti grauitate animi, ſtupet ipſa retectas
Artificis mens inſidias, palletque pauetque
Conſpicuum gladio Petrum, qui plurimus ardet
Sacrilegum prænoſſe caput, ferroque minatur
Compoſitum turbare nefas; vetat inclita cœli
Progenies, verſiſque alio ſermonibus hoſti
Indulget trepido effugium, volat ille; nec umbris
Grauida nox, nec amica ruenti tempora ſomno
Impediunt, quin Pontificis celer oſtia pulſans
Exturbet tenebras, importunoque tumultu
Obſecr

Obſecret admitti ; feſtinantumque ſubinde
Inclamat culpetque moram, doceatque paratum
Cunctando perdi facinus, dum poſte recluſo
Excipiunt properum numeroſa luce miniſtri.
Vndantes ſudore genas iam pallor & iræ
Iam ſanguis rabieſque tenent, vtque ampla domorum
Permenſus ſecreta magis penetralia Caiphæ
Attigit, his dubium affatur ; rata vota, ſecundum
Implicitis finem operibus, felicia cœpto
Tempora & indutum nodis coeuntibus hoſtem
Aduehimus, ſi, non redituram impendere noctem
Et trepidam armatis manibus reſerare latebram
Surgimus. aut medias inter pateraſque thoroſque
Aut ſoliti nemoris celſa ſub rupe repertum
Oppreſſumque dabo. Subito cita contrahe iuſſu
Agmina, ferrataſque acies, rape cognita bellis
Pectora, ne tardos precor irreparabile damnum
Præueniat, ne præcepti celer hora volatu
Audendi rapiat momenta, doluſque laborque
Sollicitus cadat in nihilum. nec enim ille pericli
Inſtantis ſecurus agit. quid mira relatû
Indicio parcente tego ? quæ ſingula nuper
Semoto procul arbitrio, vix teſtibus aſtris
Sanximus ; hic animo novit penetrante, ſuoſque
In partes rapit aſſiduus, fora plena furoris
Indomiti, incenſamque odijs bacchantibus urbem
Conſpiciet Matuta redux, ni tempore noſtro
Vtimur. At Caiphas iam dudum audire loquentem
Impatiens, Vtemur ait ; celereſque repente
Arma fremit, ferte arma viri. Tu Malche cateruas
Præſidis, Ite, Patres Ochran. Iorame Senatum,
PontificesHobabe voca. parere miniſtros,
Extempſo, properare omnes vaſtamque videres
Diſcurſu feruere urbem, velut alta procellis
Cum maria, obiectas ſpumanti gurgite moles
Aggeris euicere nigroſque in paſcua ructant

Vndarum cumulos, tumidaque voragine terras
Et pecus & nemora & ſata læta feraſque domuſque
Abripiunt, miſeri trepido conamine paſſim
Agricolæ ſine lege ruunt, pars ardua rupium
Pars agiles optare rates labor unus eoſdem
Diuidit, & variam iubet explorare ſalutem.

LIBRI PRIMI FINIS.



OLIVETI

LIBER SECUNDUS.

AT diuina graueis sacro commota furore (quit
Lex animos, inamæna Orebi, abruptosque relin-
Immitis Sinæ scopulos, dirisque tremendum
Hebalis infausti culmen, qua rupta dehiscunt
Tartara, qua stygijs subitus datur exitus vmbris
Occupat. extemplò sæuum fremuere penates;
Lucis inadspecti radijs, rapidoque fragore
Præsentem sensisse atro domus horrida luctu
Testatur. premit illa gradum manibusque seueris
Pulsat inane solum funestaque sedibus excit
Agmina sulphureis: Gens imo adsueta profundo
Quæ sonteis vrges animas. (Sic fatur) & igne
Æterno, Domini lentos vlcisceris æstus
Tuque inimica lues vitæ, flectique precando
Nescia, quæ variis fædatum cædibus Orbem
Vertis, & assiduo confundis funere mundum,
Et dolor, & rabies, dirique nouissima regni
Spem, pestis, superare potis; si læsa ministras
Irarum, & suetas menteis punire nocentum
Rite voco: Si vos rabidis, violata, colubris
Armaui in scelerum veteres, quibus omne pudorem
Excussit de corde nefas rectumque DEVMQVE:
Proruite & sacram, quæ succidanea nobis
Victima, pro furijs hominum cadet ocius atris
Supplicijs mactate animam, nihil illa, nec ausa
Crimen, at insontis facinus modo cæde piandum est.
Talia iactantem crudelis Regia functi
Orbis, & ardenti tremuit styx liuida fundo,
Et quos flamma vorax rutilis torrentibus ambit
Quodque alii exhorrent manes, subitoque tumultu

Orcus; hiat, pigræque Erebi patuere cauernæ,
Protinus vt capitis dimouit ab ore cerastas
Perque humeros errare dedit, Regina profundi
Carceris, abruptâ curarum mole sub astris
Poena fremit; quæ sanguinea vestigia palla
Turbat & immani expirat de pectore fulmen,
Fulmen inest oculis, glomeratas fulmine flammas
Ore vomit, trucique micant fera fulmina dextrâ.
Illam indignantemque animos odijsque superbam
Innumeræ circumfunduntur Erynnies, atram
Crispanteis de more facem, rotat illa catenas,
Illa minax gladijs, forti quatit ista lacerto
Flagra, graueis aliæ versant in fata secures
Hæc robur seruile crucis, vectesque cruentos
Ista vepres gerit, hæc clauos, hæc telsa veneno
Ebria, crudeleisque vncos, strictamque bipennim,
Proxima lethali profert Mors sæua barathro
Arma triumphantesque manus, quam crimine constans
Fama satam, virides inter reptasse genistas
Felicis nimium luci, cum prodiga vitæ
Et cœcam dira furiante cupidine mentem
Heua (nefas!) vetita decerpserat arbore fruges
Mox fratrum nutrita odijs violenta Caini
Fratris in agnatum direxit brachia pectus.
Inde per ingentis spatiosa volumina terræ
Arctatamque vagis anfractibus Amphitriten
Exitiale iugum tristesque extendit habenas.
Par monstro facies: raram defenditur atra
Veste comam, solidoque rigens adamante corona
Ter taxo radios mixtâ variante cupresso
Stat super; at vacuos oculis extorribus orbes
Exesæ fugere genæ, fractusque lacunis
Nasus hiat, nec iniqua putres sedilia dentes
Nec mentum cutis ulla ligat, patet auribus orbum
Tempus, & exertis ceruix crepat ossea nodis,
Ossea compages humeris, seps ossea lambit

Terga, nigræ vacuo ſtabulantur pectore cenchres,
Coſtarumque legunt arcus, releguntque, teguntque
Multifido dorſi caudarum verbere ſerram.
Aluus abeſt, nudoſque ſua cubitoſque pedeſque
Carne mouet, lateri talos dependet ad imos
Carbaſus, innumerâ denſatur cæde pharetra.
Qua tulit ora, cadunt rediuiui florea veris
Dona, cadunt virides diris afflatibus herbæ,
Marcet ager, ſqualent ſegetes, afflicta recumbunt
Culmina, diſpereunt meſſes, & victa rubenti
Prata ſitu, moriturque ambuſtis frondibus arbos.
Vt cum terribili ignitus fulgore cometes
Prodigale micat: teneriſque ab origine culmis
Inſtat, anhelanteſque immittit floribus Auſtros,
Diffugit omnis honor nemorum, flet languida raptas
Chloris opes, flet mæſta Dryas, valleiſque reſultant
Nereidum gemitu, dum tardus hiantibus arvis
It vapor, ac tenueis admittunt æthera luci.
Quis furias comitum, fœdæque atrocia turmæ
Agmina, quis rapidas queat enumerare phalanges?
Hic Dominæ par ſæua fames ſtillantia tabo
Pectora, & auulſos membris depaſta lacertos.
Hic flammata ſitis venis fugientibus ore
Inſtat, & exiguum trahit irritata cruorem.
Illic præcipiti vitam incœſtante veneno
Formidanda lues, durorum hic lenta dolorum
Tædia febrileſque rogi, marcorque furorque
Carnificeſque animi curæ, bacchataque multo
Sanguine, & horrificos enſes armata Tyrannis.
Hinc blandi faciem nixique dolonibus aſtus,
Et luxus titubante gradu & temulenta voluptas.
Ac puer obſcæna cæcus cum matre cupido,
Hic Martis veſanus amor galeataque ferro
Anguineum Bellona caput gladioque trucique
Igne minax, geminoque potens diſcordia telo.
Ante volant lacrumæ effrenique ululante tumultu

Luctus agit tristeis gemitus, semperque recentes
Tam Phœbo tollente caput, quam nocte querelas.
Hinc terror ruit, inde tremor, sternitque teritque
Rorantes oculos, & singultantia fletu
Oraque fædatasque manu plangente papillas,
Neglectasque preces, & dedignata teneri
Pectoris attoniti cœcis suspiria vinclis
Iam quoque terribiles cœlesti sulphure vultus
Exerit atque nouas acies aliumque laborem
Audet & insanas voluit sub pectore pugnas
Carceris vmbrosi Rector, nec mentis egenteis
Sed quondam, in trepida rerum vertigine Olympo
Conatos pacem æternam Dominumque Tonantem
Excutere & refugum sua sub iuga cogere mundum.
Nec posuere animos donec turmasque Ducemque
Fulguris in medio flammis manifestus & ira
Rex superum. Rex idem hominum Terræque salique
Fulminis increpuit tonitru vibrante fauillis
Et caliganteis Orci detrusit in vmbras
Squallenteis vmbras Erebi luctusque perennes.
Nec tamen abstinuit furijs ingentibus omnes
Explorare dolos Natamque è Virgine Magnoque
Æquæuam Patris Sobolem per operta lacessens
Fraudis vt imbelles reiecit cautior astus
Hostis in arma palam rapitur totaque barathri
Seditione tumet? Qualis cristisque genisque
Aureus, & squammis asper, nitidusque iuuenta
Anguis humo virides sinuatis nexibus orbes
Torquet & admorsas eructat virus in herbas.
Ah miser! ardenti si quis per prata viator
Obuius, & primo tabescat membra veneno
Illum, & letheis trepidant cinguntque caminis
Educti proceres, & quos diuersa per orbem
Distinet in clades hominum plaga, quosque nocenteis
Cura manet torquere reos, quique alta pererrant
Aeris, & si quos procul inferiore gehenna,

Altera

Altera nox, alijſque grauat plaga cœca tenebris.
Ipſe premens rutilo toruam diademate frontem
Progreditur, nimium faciem diuerſus ab illâ
Quæ matutino quondam pretioſior auro
Sideris æthereum fundebat ab ore nitorem.
Nunc exoſa diem geminatis occulit vmbris
Lumina, ſqualenteiſque operit vapor, ater amictus,
At patulis horrenda caput cum protulit antris
Oraque præcipiti magè formidanda tumultu
Ætheris, immaneis terris immittere diras
Sueta lues; tremor arua grauis, tremor inclita cœli
Tecta quatit, fugit omne iubar ſplendore reciſo
Luminis, & dulceis obnubit Cynthia malas.
Ipſe timet, quem regna timent phlegetontia, monſtrum
Semper atrox, laterique comes negat ire nefando,
Seu vertat templa in cineres, ſeu miſceat igni
Oppida, ſeu validas reſtinguat ſanguine flammas;
Seu tumulos ac buſta ruat lucemque reuulſis
Oſſibus ac ſanie marcenti polluat auras,
Siue laborantes ingeſto flamine tractus
Ac ſuper impoſitos ſcopuloſo pondere montes
Scindat, & horribili viuentia corpora lapſu
Culminaque & hauſtas cum fractis turribus vrbeis
Obtegat, & magni miſtos per inania mundi
Pulueribus cineres fumo glomerante reuoluat,
Siue pluat nimbos lapidum, ſeu ferrea nexis
Triſte ſeris cœlum impediat, ſeu laxet in imbrem
Sulphuris, aut iubeat bullire cruoribus vndas,
Aut ſterili loca culta ſitu lolioque rubiſque
Induat ignotaſque trahat per ſecula mortes,
Vltima vulnifico ſequitur lacerata fluenteis
Vngue genas, pectuſque breui confoſſa ſariſsâ
Sanguine perque ſinus vulſaſque errante papillas,
Sæuior æterna cruce DESPERATIO, lentis
Sæuior Eumenidum ſtimulis, quam nulla profundi
Supplicia, aut tragici valeant æquare furores.

Nec

Nec morſu frendente atram diſcerpere linguam
Abſtinet, aut labio ſcelerante inceſſere ſummum
Numen, & effræni ſuperos illudere ſannâ,
Lapſantem, & ferri ſubnixam cuſpide dextram
Suſtentat Rabies, cæcæque doloribus iræ
Et comes Ambitio, vitæque laboribus impar
Mollities, faſtuſque iugis, mærorque timoris
Impatiens,ſuetuſque pudor neſcire repulſam.
Interea dum ſæua cito ſecat impete nubes
Turma, palæſtinæque ferox allabitur vrbi:
Proles vera DEI, per opacas frondibus vmbras
Quâ iuga pampineo tractim florentia cultu
Luxuriant, olea virides ſuperante corymbos,
Fertur in adſuetis celebrem ſeceſſibus hortum,
Tum prior ad comites; Precibus mihi ducere noctem
Decretum eſt. Votis ô nunc incumbite, rupto
Dum feruent Acheronte minæ, dum plurimus horror
Inſtat, & hoſtilis rabies. Vos iſta recondat
Exeſis ſpecus acta cauis,ego mite Parentis
Subſidium gemitu veneror. Sic fatur & vltra
Se, latus accinctus gemino Zebedeide Petroque
Proripit, immenſumque tremens; mihi frigidus, inquit
Concutit oſſa metus, triſtiſque per intima regnat
Corda dolor. Mors atra graues fera tela, ſagittas
Exerit, inque animam hanc toto ruit impete turbo
Angorum, Ceu cum ſubito torrente Viator
Interceptus, aquis, terrâ cedente fatigat
Innixas ſaxis plantas, at ſpumeus amnis
Firmantemque gradus, iamque & tranſire parantem
Inuoluit, lapſumque nigrante ſuperruit æſtu,
Terque undâ cumulante leuat, ter gurgite merſum
Sorbet & informi condit (miſerabile) cœno.
Haud ita fatali cum iam diſcrimine fractas
Corporis exuuias, lentoque trementia motu
Pectora, tabenteiſque oculis hærentibus artus
Deſtituit calor extinctus; mens ſaucia ſummo
Vulnere

Vulnere deficit, & letho ſuper impendenti
Colluctata diu, per languida corda, viaſque
Sanguinis, et rigidos anima fugiente meatus
Soluitur, & tenueis defeſſa exſudat in auras.
Quam dubijs nunc rebus opem? ni ſummus Olympo
Me Pater, his flexus lacrumis in triſtia firmet
Prælia. Nunc animis opus eſt, vigilique precantum
Robore, nunc gemitu flagrante retundite ſomni
Blanditias pigramque oculis excludite noctem.
Hæc fatus lachrimis in verba cadentibus, ambas
Appreſſit palmas humeris, & ab agmine quantum
Fors per inane rotet ſilicem manus acta lacerto,
Segregat errantes mœſta vertigine vultus.
Nec mora: cum nitidis ſuperum dilapſus ab oris
Stellantes, ubi regna, plagas, æterna piorum
Concilia &, ſemper lætum moderatur Olympum
Dius Amor tacitum contra ſtetit, aureus olli
Tempora cirrus obit, variantur lactea viuis
Membra roſis, ſacrumque oculi, ſacrum ora vigorem
Ardorum, & blandi ſpirant incendia vultus.
Aureus ex humeris corytus & aurea flammis
Spicula, gemmatiſque leves fulgoribus arcus,
Porrectâque manu, gemmâ ſigniſque nitentem
Fert pateram, quæ multâ operum cælata figurâ
Non dubia monſtrat magnos ſub imagine luctus.
Heic ſobolem (Deus ipſe iubet.) Pater applicat aris
Thariades, ſtrictam librans in colla ſariſſam,
Oppletus faciem lachrymis. Stat pallidus illic
Nec iam purpureo corpus ſpecioſus amictu
Fraternæ ſcopus inuidiæ, quem brachia vinctum
Sordentemque genas foueæ ſqualloribus atris.
Exili Simeon permutat ferreus ære,
Ferreus, ah! quem non communis origine ſanguis
Nec mœſti fletus pueri, ruptæque profundo
Singultu, gemituque preces, diruſque parentis
Mœror, & alloquio terrente, vigentibus annis

Et pietate prior Ruben, nec barbarus emptor
Nec sceleris rabidi facinus deforme coercet.
At parte ex alia sordente voragine cæni,
Helciaden Solymi proceres, furiataque mergunt
Agmina, Vix manibus, laceris vix ille capillis
Eminet, inflexa tamen & ceruice laborat
Quâ licet, infensum Iudæ placare Tonantem.
Heic spumosa tument emoto cærula fluctu,
Et crispant vada salsa, ratemque immanibus Austris
Vexatam intorquent pelago, diffinditur vnda
Præcipiti conuulsa Noto, bacchatur in orbem
Fulmen, & horrenteis nigrante volumine tractus
Aeris, & rapido discerpit verbere funeis,
Attoniti insurgunt nautæ, sinuataque vellunt
Carbasa, pars fractum nixi diuertere clauum;
Brachia pars scopulis, surdo pars brachia cœlo
Obuertunt, gelidæ marcet pars obuia morti;
Pars coit in medium, quâ ductis sortibus urna
Deprensum fato fugitiuum Numina Ionam
Destinat immiti exitio, mora nulla furenti
Victima nat ponto, nec longe, immanis hiatu
Bellua non totum tumidis caput exerit vndis,
Terga latent, caudæque tremunt aspergine fluctus.
Quod super impositum claudit sacra pocula tegmen,
Montis in effigiem sylvasque, virente smaragdo
Artifici tenuatur ope, stant gemmea circum.
Castraque castrorumque Duces, duodenaque gentis
Agmina, quæ validis hæmorrhois orbibus ambit
Et morsu flagrante necat. liuescit in auro
Vulnus, & extinctæ multum faciesque genæque
Noctis habent, dirisque rigent cruciatibus ora
Celsior in summo monstrare cacumine Vates
Multiplici amplexum sublimia robora gyro
Serpentem, auxilio urgenti discrimine leti
Hac patera lethale merum quod miscuit ater
Felle dolor, lacrymisque & amari tabe veneni,
Addidit

Addidit & curas, triſteſque minacis Auerni
Inſidias, ſtigijsque Erebi torrentibus hauſtos
Angorum latices, properant, in funera CHRISTO
Obtulit almus, Amor roſeoque ſilentia rupit
Ore potens: Cape ſumma DEI, cape ſacra parentis
Intactæ Soboles, magni quæ iuſta propinat
Ira PATRIS, meriti funeſta nouiſſima mundi,
Et, (generis quod ſuadet Amor, quod ſponte petebas)
Ebibe quem ſolus potis es ſuperare furorem
Ac ſtygias rape victor opes, rape nobile fatum.
Rumpe moras, nec plura citis arſere medullæ
Ignibus, ac ſi quis fumanti ſulphura buſto
Accumulet rutiloſque oleo feruente caminos
Augeat, aut rapido naphtam confundere nitro
Et viuo carbone paret; violenta crepanti
Turbine flamma ruet per tecta, per ardua vaſti
Aeris, & ſubitum diffundet in æthera fulgur.
Talis auet iam dudum inimicæ occurrere morti
Infernaſque acies fractumque euertere Ditem
Mens Domini; rigidis ſed enim conatibus obſtat
Mollior, & lethi fœdum tremebunda laborem
Quam gerit ille, Caro. veluti procera cupreſſus
Quam circum denſi repetitis ictibus vrgent
Agricolæ, impactas multum commota ſecures
Excipit, ambiguamque inter nutante ruinam
Culmine, iam validos deſignat ſtragibus Auſtros
Iam Boream: fugiunt celeres, & terror utrinque
Quo ruat, umbroſis quas ſternat frondibus alnos.
Ergo animum gemini rapiente cupidine voti
Concidit, inſtratuſque ſolo, faciemque manuſque
Et fletu rumpente preces, Pater optime, dixit,
Summe Pater, Pater æterni mihi fœderis ictu
Certior, immenſo qui digeris omnia nutu,
Quem Dominum famulante genu Natura, Deumque
Auſpicijs fabrefacta tuis colit inclita mundi
Machina, quem nullis arctatum finibus vnquam
Fara

Fata pavent, quem plena Sui, rerumque poteſtas
Obſequio præſente manet : Te, ſupplice Natus
Corde precor : Cerne has, oculis quibus omnia luſtras
Has lacrymas & ſi qua tuum ſpes poſſe furorem
Commodiore viâ flecti, generiſque reatus
Terrigeni, non morte meâ, tantiſque piari
Supplicijs huic me calici, me huic eripe leto,
Si tamen hoc te velle ratum eſt, prius ardua noſtri
Cura, prius fauor æterno quo ſemper ab æuo,
Æternam in ſobolem flagras; tibi funditus omnis
Excidat, & Nati memores obliuio ſenſus
Perpetuæ immergat nocti, quam Maxime votis
Hiſce meis tua mens PATER expugnata fatiſcat.
Hæc ait; excluſiſque imo de corde querelis
Ardor ineſt, firmatque preces; lachrimæq; perorant.
Interea dum celſa vigil quatit æthera luctu
Et totas cogit denſa in ſuſpiria CHRISTVS
Relliquias animæ; furui per inania cœli
Fertur & inuerſo tacitus Sopor ocia cornu
Per ſata, perque caſas nemorum, per iniqua, per vrbes
Fundit, & immotis iubet alta ſilentia ramis.
Iam mutæ paſſim volucres, iam ſegnior urget
Obſtantes Cedron ſcopulos, pecudeſque feraſque
Explicat alma quies, nuſquam horrida murmura nuſ-
Clamor, & exeſis recubat ſub rupibus Echo, (quam
Iamque ipſos Domini comites ſuper ingruit vmbra
Denſior, errantes oculi, reſolutaque ceruix,
Nutanteſque diu recidunt in pectora vultus,
Quos ubi proflantes inopini nubila ſomni
Ac ſtratos humenti in gramine circumſpexit;
Excitat & Veſtras quæ tanta ignauia mentes
Lenta nocte ſubit? Tuque ô quem lurida mortis
Vulnera, me propter cupidum perferre, quieto
Implicat herba thoro, potes hoc diſcrimine rerum
Stertere? nec miſeros quæ deinde pericula cernis
Expoſcant? queis miſſa phalanx Acheronte profundo
Coniurat

Coniurat triste exitium. Vigilate, Deumque
Robur & inuictas animis exposcite vires.
Ne vocet ad maiora timor, ne forte ruentem
Concutiat styx dira fidem, mens ardua quæque
(Noui equidem) horrendosque audet tentare labores.
At caro quid valeant artus, humerique recusent
Anquirit diffisa sibi, grauioraque vero
Fingit & innocuam formidat imaginis vmbram.
Dixit & admotâ languentia corpora dextrâ
Contigit, atque iterum dubios iterumque vocabat,
Donec lenta quies oculis renuentibus astra
Et nitidis Lunæ plenum fulgoribus orbem
Excidit. Inde suas repetit sibi redditus, ornos
Et cœlo faciem intendens, duplicesque lacertos
Fiat (ait) Genitor! quid enim perferre recuset,
Vnanimi imperijs soboles deuota Parentis?
Si sedet hoc, iam posco mori, misce ignea nostris
Fulmina torminibus, dirosque haurire furorum
Me iube, me latices, & quod funesta propinat
Culpa merum, raptumque necis de gurgite virus.
Succumbat (si me tales expendere pœnas
Vis Pater, ac nitidos superum reserare penates
Sanguine, dilecto generi) succumbat amicæ
Lucis amor, diræque metus necis! Illa ruenti
Expectata salus mundo, quam longa per æuum
Vota, redundantesque hominum suspiria fletu,
Et Regum gemitus, commotaque Numine Vates
Pectora, dirupto voluere excurrere cœlo,
Aduenio. Et, quæ sacra meos oracula nexus
Olim non dubiâ verborum ambage figurant,
Ante coronatus redeat quam sidere vesper,
Ante meam quam sol noctem doliturus ad æquor
Occiduum ruat auersas inuisere gentes,
Absoluam. Tu stellanti qui despicis axe
Cordis in ima DEVS, penitusque arcana reposti
Exploras animi, promptum & tua iussa volentem

Daru

(Dura licet ſint illa) vides tremor vltima ſantis
Verba quatit, circumque graui fremit omne tumultu
Agmen, & infernæ immiti conamine peſtes
Inſultant, ſic crebra virum, ſic denſa canum vis
Cum leo, quem nemora, & pecudes, pecudumq; magi
Extimuere, plagas, nodataque retia funeiſque, (ſt
Induit, illa igni, hæc ſæuis latratibus inſtat,
Et iaculis morſuque premunt, nil territus ille
Rumpit acerba tuens cuneos, caſſeſque reuellit
Vnguibus, At tumidas animos ardeſcit in iras
Carceris inferni Princeps, rabiemque doloſque
Aggerit, & totâ ſuper impendente gehennâ
Fertur in immotum pectus, quod dentibus atris
Lancinat, afflictæ ſpem tollere funditus omnem
Gnara lues animæ, dubijque inimica Parentis
Numina, damnataſque preces caſſumque ſubinde
Fædus, & abruptos fruſtra mentitur amores,
Ac crebro repreſſa cadit. Trux inde tumultu
Ignivomo genetrix Dirarum, & fulmine mæſtum
Aggreditur, mundique nefas, temerataque legum
Sacra, relucentemque rogis crudelibus vmbram
Infameſque DEO pœnas, & turpis acerbat
Fata crucis, ſannas myſtarum, ingrata, cruentis
Agmina pro quibus hæc datur vltio, mentibus, atra
Horrentis tumuli noctem, & quæ plurima culpis
Deſtinat infenſus rigor. Hinc grauis impete, pœna,
Terribili, infandâ montem ſtatione coronat,
Apparent diræ facies, ac triſtia fædæ
Inſtrumenta necis, dubiasq; intermicat vmbras
Argentum fatale, DEVM quo perfidus emptor
Præſtinat & tremule miſtis funalibus haſtę,
Hic ſtrident nexus chalybum, implexiq; catenis
Raptantur laquei, valleſq; & ſaxa retorquent
Inſultus alaparum, inhonora opprobria, riſus
Inſanæ blaſphęma nimis conuitia linguę
Et nivibus magè pura chlamys ſaturataq; tabo

Purpura, vulnificis illinc horrentia loris
Flagra tremunt, alibi vepribus nectuntur acutis
Serta, leuisque graueis arundo nouatur in vsus
Nec minus objiciunt rorantem aspergine cippum
Sanguinis Eumenides, & vana piacula tantæ
Cædis aquas, scabrosque obtusâ cuspide clavos,
Et bifidam ingenti attollunt conamine cedrum,
Lethalem cedrum, innocuo quam sancta cruore
Imbuet (heu!) lentaque dicabit victima morte
Tum fellis pateras positam quoq; sortibus urnam.
Quæsitæque necis titulos, & ferrea iactant
Tela per exanimes cordis torquenda recessus.
Talia dum secum turbata mente volutat
Diriguere comæ, fessoque expulsa recessit
Vis animo, genua ægra labant, & vtrumque tenebris
Lumen hebet, fugit oris honos, cadit inclita ceruix,
Angorumque auidæ sorbent præcordia flammæ.
Pallenteis mors sæua genas, tempusque manusque
Occupat, & gelido constringit pectora nexu,
Frigidusque exhausti frontemq; humerosque lacertosq;
Et nece liuenteis salsis lauat imbribus artus
Sudor, & inteneras de corpore rorat in herbas,
At summus noua, monstra dolor, (lachrymabile dictu)
Quæ rigidum extremi Boreæ reuoluta sub axem,
Quæ Phœbi face fusca tremat, quæ nata subimis
Indorum scopulis; viridisque ad littora ponti
Horrescat gens fixa, æuique extrema cadentis
Tempora & æterni mirantur secula cœli,
Exhibet. Vndanti liquantur sanguine guttæ
Qua sudor sibi fecit iter, grumique cruentâ
Cesariæ in sacros ceu viua corallia vultus
Præcipitant, roseo alta latet frons obsita tabo.
Confundit sanguis lacrymas: jacit ore salinam
Sanguineam, gemini madefiunt sanguine nares
Et totum abrupto venarum stamine corpus
Non nisi sanguis obit, qui lapsus ab artubus, atro

Expiat attonitam dirarum fulmine terram
Quo steriles afflata sinus mutauit aristas
Vepribus & raris ornauit fructibus annum.
Ante cruentatam veherent quam tempora noctem
Ver nitidum graue flore caput, marcentibus aruis
Aduertit, madidasque æterno nectare pennas
Concutiens virides reparauit frondibus vmbras
Et gratum Domino violis pubescere collem
Iusserat, innocuus violis color vnicus olim
Lactis erat, nivibus folium tenuique ligustro
Purius, & fulvo discretæ stamine nymphæ.
Mox postquam liquido diuini rore cruoris
Immaduere sinus; pulchrum traxere ruborem,
Inclitaque albentes fuscauit purpura fibras.
Nec plantæ decor ille fugax, sed durat in omnem
Qua viget hæc sobolem, vernoque animata calore
Exhibet insoliti monumenta perennia luctus.
At sacer absumptum dum fulcit cespite corpus
Orator, gemituque suum recludit Olympum,
(Nam vocem vis rapta negat) patuere serena
Aetheris, atque aliisfulgentes solibus oræ;
Vnde citus per inane poli fulgentibus alis
Affuit eximius superum dux agminis, atrasque
Discussit nemori tenebras, nitor aureus vmbram
Arboribus scopulisque rapit, radijque trementes
Arua repercussum spargunt per aprica virorem,
Ille DEVM geminis amplectitur obuius vlnis
Collapsumque leuat, refugasque è pectore vires
Restaurans, lachrymas oculis, membrisque cruorem
Abstergit, firmatq; animos. Sic arduus olim
Fatorum & cœli interpres, dum longa futuri
Temporis, extremoq; ruentia secula lapsu
Evoluit capto juveni, qua densior arvis
Incubat, & rapidas spumanti gurgite versat
Tigris aquas, gelidis titubantem & multa paventem
Artubus, insueto recreatum robore fulcit,

Tum curas demere & verbis mulcere dolorem;
In menso par Nate Patri; quo fante, quod usquam est
Extitit, æthereo sed quem de culmine rerum
Seruorum infra humiles nexus, infra infima mundi
Delapsum, nox mœsta gemit, quo tristia frangas
Tartara, quo fasces Erebi, juga ferrea mortis
Et scelerum abrumpas laqueos: quæ tanta fatigat
Inuictam vis dira animam? Qui gaudia cœlo
Sufficit, horribili attonitus grauitate dolorum
Languet, & illustreis inhonoro puluere fœdat
Delicias cœli vultus, queis quæque per astra,
Quæque per innumeras gentes, perque auia terræ,
Iussa Parentis obit volucrum pia turma, videndo
Expleri nequijt, Quem tetra furoribus Orci
Regia, perpetuisque graves ardoribus ignes
Victorem Dominum que tremunt; tremet ille? Ruentes
Agglomeret styx fusa manus, confundat acerbas
Pœna neces! tonet Ira! truci mors atra sagittâ
Ingruat! instaurent aciem fera Tartara! Vinces.
At te sæua dies, lacerum crudeliter artus
Destituet; tortumque flagris & sentibus: Esto!
Funereo immorientem aceri: Num functa perennis
Membra situs, nigrique quies æterna sepulchri
Differet in cariem? Nec enim lux tertia mœsto
Excidit; euersis tumuli cum legibus, auræ
Excipient vitâ insignem, spolijsque decorum,
Direptæ spolijs Erebi cum saxea linquent
Antra, per immensas putrefacta cadauera noctes.
(Quæ tua mors vitæ & superum felicibus oris
Restituet) fractamque necem viresque profundas,
Et conculcatum stygij caput ante Tyranni
Gaudebunt, cum læta Tuis Rex summe triumphis
Cœlicolum gens illustri glomerante tumultu
Præponet stellis marmor; vacuumque cubile
Funeris exuuias, & verba nouissima multum
Testata, incolumem socijs redijsse magistrum

Afferet? Exanimes, quid cum dulcedine cœtus
Immodica, lætoque trementia pectora raptu
Lustrabis? cum te manifesta in luce tuendum
Objicies? passusque nihil dubitare, recentes
Membrorum, laterisque sacri monstrabis hiatus?
Dum reuehant stata fata diem, qua celsa patescant
Atria, sidereamque domum, Patriosque reuisas
Æthereа regione thronos. Ruit inclita cœli
Militia & captum Ditem exhaustosque labores
Ingenti fremit applausu. Sator obuius ulnas
Implicat amplexu Nati, iamque oscula libat
Vulneribus roseis, dextrumque adamante corusco
Imponit solio, cuneus vnde arduus omnes
Spirituum obsequio accinctorum, vnde addita terris
Agmina, & æternæ sub te tremere horrida noctis
Tartara, Rex hominum, Superumque Erebique verendus
Despicias Iudex. duro hic discrimine mortis
Partus honos, hæc atra manet post funera merces.
Talia dum Christo, nitidis Puer excitus astris;
Illius amissæ remeant in pectora vires,
Et tenuis subit ora rubor, nec gramine corpus
Nititur, erectusque, vdâ tellure profundo
Marcentes somno comites, primumque Simonem
Increpat; Heu! quisquamne adeo, nostrique suique
Immemor, Eumenidum infando bacchante tumultu,
Dormit, & incautum tanto caput objicit hosti?
Quas sopor ille Tibi lachrymas! Nox plena furoris
Nox ingens scelerum, cladisque nouissima summæ
Præcipitat. O si quà dolos exire latentes
Quas Erebus Tibi nectit, aues: abrumpe quietem,
Peruigilesque DEO quœstus, dum posse facultas
Nunc saltem accumula. Nihil hic, sed tristibus æger
Alloquijs, somnoque grauis, mixtusque dolori
Oscitat. Ingemuit, curisque tremenda reuoluens
Funera, quo solitus remeat. Natusque Parentem
Vnanimem vnanimis letho deuotus adorat.

Exigis

Exigis ergo meum Genitor venerande cruorem?
Et prolis ſuprema tuæ? Madet, aſpice tellus
Sanguine, labentemque animam lethalibus urget
Mors jaculis, diroque Erebi mens anxia luctu
Æſtuat, & ſtygiæ inuoluunt caua tempora, noctes,
Sed, ſi tanta ſacro minor eſt vindicta furori:
Nec litat iſte dolor; iam nil Pater alme recuſo,
Me, me, adſum, me flagra, rubi, ferrumque cruceſque,
Dilacerent, gelidoque mihi ſi corde ſuperſtes
Hærebit poſt fata cruor; confoſſa dehiſcant
Pectora, ſupremoque vndent mea funera tabo.

LIBRI SECVNDI FINIS.



OLIVETI
LIBER TERTIUS.

INterea funesta trucis sub imagine somni
Exterrere quies juvenem, quo junctior alter
Nec Domino pietate fuit, nec amore, Futurum
Sive animus vestiget onus, sive ultima mentem
Pertentent trepidam morituri verba Magistri;
Occultum seu numen agat, visum omne coruscis
Resplendere nemus facibus, rutilusque per auras
Armorum volitare tremor, mora nulla, latebris
Excurrit furibunda phalanx, gladiisque sarissisque
Horrida, funestoque gravis dux agminis auro,
Ignotum designat iter, spurcoque verendum
Os Domini, premit ore, manus quem densa catenis
Implicitum trahit, audaci licet irrita cœpto
Prælia conetur Senior. Iamque aspera solus
Tesqua, per & sylvas desertaque tetra vagari
Se putat, innumeros donec eoiisse leones
Vnum omnes juxta agnum, & hiante teterrima rictu
Membra gemit laniare, Petri nec mæsta fefellit
Hærentem facies, dubium quem plena vigoris
Cerua fugat, sævi mox plena furoris imago,
Proditor, obscœnos furiis agitantibus astus
Perfectum damnare nefas, cœloque rubentes
Sulphuris & flammæ jactus, rapidumque precari
In caput inque animam fulmen, scopulosque minanteis
Et surdas mortem cautes, ululante boatu
Expetere, abruptam qvianam referare barathri
Terra negat, licet ipse roget, flagrantis abyssum.
Ergo adversantem cœlos, vitamque Deumque,
Dum fauces cohibent animam, divulsa tumentis
Viscera dissiliunt, indignatusque teneri
Spiritus incœstat membris tabentibus auras.
Tum Iuueni dirupta feræ spectacula noctis

Excussit pauor horribilis, gelidusque per artus
Sudor & algentis meat æger anhelitus ora,
Nec grauibus simulachra minis, sed tristia cladium
Nosse putat documenta, simul morientis Iudæ
Percitus exitium refugit, Petrumque requirit.
Quem postquam viridi tandem languere sub vlmo,
Cynthia nam plenam per opaca silentia mundi
Aduertit faciem) mordenteisque intima curas
Fallentem reperit inopini munere somni;
Ipse suos damnare metus, animique soporas
Effigies. Cum dira nouus spectacula terror
Instruit, ac Solymas, veterumque palatia Regum,
(Nunc Ducis Ausonij, postquam res inclita Iudæ
Concidit, atque alio cœli inclementia gentis
Transtulit imperium) densosque per atria ciueis
Exhibet: imparibus stat pergula fulta columnis.
Quam subitus rigido stipante satellite Præses
Occupat, & IESVM (superi cohibete!) ruenti
Commonstrat populo, quæ sæua furentibus ira?
Quæ rabies effræna hominum? quis ab vbere fœtæ
Tigridis, aut rigidis excisus cautibus Hæmi,
In tantum potuit facinus durare? quis atro
Commodat ingenium sceleri? speciosa cruento
Verbere mala tumet, roseusque per inclita sanguis
Tempora, liuenteisque genas, oculosque nigranteis
In pectus humerosque cadit, frontemque coronant
Innumero impacti spinarum vulnere sentes,
Et vulsi coeunt tabo incumbente capilli.
Quod laterum immanes ictus, quod pectora flagris
Obruta, contusosque ambustis fustibus artus
Aut Thracum genus, aut duri gens hospita ponti
Lumine nil moto spectet? quis brachia torto
Fune, quis implexo religatas vimine palmas?
Hunc Iudæa tamen, Vatum rea cædis, & olim
Ornanti non grata DEO, sacrique fauoris
Immemor, infando dirum bacchante tumultu,

Destinat

Destinat immiti pœnæ, mortesque crucesque
Cæca, nec vltrices ruituri fulminis iras
Respiciens, fremit, emotas, ceu littoris alueo
Cum Boreas Coruque graues pugnantibus Austris
Attolluntreprimuntque vndas, freta concita ruptis
Incumbunt scopulis. vlulat truculenta per auras
Ventorum rabies, credas stellata reuelli
Atria, & aggestâ terras titubare ruina.
Ergo per aduersæ raptus crebra agmina gentis
Qua diro Golgotha iugo florentibus obstat
Palmarum nemorumque comis; procumbit, & atræ
Vectibus affixus cedro, funesta nocentum
Supplicia, & sonteis insonti corpore pœnas
Sustinet. At Iuuenis cumulato fulmine mentem
Percitus. obstantes cuneis sibi rumpere turmas
Velle videtur, at exanimum genua ægra tremore
Deficiunt arcentque feræ dolitura cohortes
Lumina, quas tandem eluctatus, roboris arcto
Occupat amplexu truncum, lapsumque cruorem
Confundit lacrymis, quærulæ mæstissima linguæ
Hæret vox raucis singultibus interrupta,
Nec minus excelsâ moriturus, ab arbore Christus
Despicere, & flentem alloquio recturus amicum
Creditur; attonitum cum (iam non somnia) IESVS
Excitat & paucis; Vigilate, nouissimus vrget
Terror, & hostiles circumstant omnia turmæ.
Tradimur. En qui sponte meum caput improbus auro
Vendidit. Extemplo flammis loca lata relucent,
Clarescunt ferri sonitus, galeasque comantes
Per sudum rutilare vident, qua brachia laxant
Iam virides nemoris platani, aduersaque sub vmbra
Tædarum tremor, arma, viros, vallesque pererrat
Huc Syrijs gens lecta plagis, huc agmina gentis
Ausoniæ, temploque manus deuota Tonantis,
Huc Solymæ quos cura manet, quos cura viarum
Conueniunt, legum & iuncti custodibus ipsi

Ponti-

Pontifices. Pars tela rotant, pars robora flammis
Indurata diu, teretes pars maxima contos
Hic pilis Romana cohors. Arabumque sagittis
Formidanda phalanx, vnum tot atrocia contra
Pectora pectus agit Iudas, quem dira propinqui
Sollicitat sceleris facies, iamque irrita vellet
Pacta, sed admoto postquam ter cœca flagello
Eumenis hærentem tetigit; rediviuus acerbat
Ossa furor, timuisse piget, juuat ire, nefasque
Ne pereat; fraudes ita digerit. Ardua vester
Cœpta viri labor & vix æqua potentibus armis
Audet, in imbellem quanquam tot fortia cœtum
Corda ruant, tamen ille manus, quem poscimus, olim
Sæpius innumeras lusit, mediosque per hostes
Non ulli conspectus abit, seu turba profanum
Impeteret saxis caput, abruptoque pararet
Præcipitem de monte imis intrudere petris,
(Non ignota loquor) seu Regis adesse cateruas
Disceret; incassum vires cecidere dolique.
Adde, quod ignotum, luci geminantibus vmbris
Ambiguam rebus noctem, per aperta, per ornos
Quærimus. At dubijs quam spes mihi certa salutem
Casibus expediat, sensus adhibete, monebo;
Fert via per valleis facilem qua culmina montis
In cliuum depressa meant, quam frondea densis
Sylua tegit palmis gracilique vmbratur oliuâ,
Aptior insidijs locus. at quod tramite recto
Surgit iter: tumidum manifesta indagine collem
Opprimet. Ite alij, fraudemque & cœca parate
Retia. Vos mecum ductu propiore latebris
Irruite obscurosque viri expugnate recessus.
Illum ego, ne facies dubios peregrina moretur
Amplexu impediam, mea qui videt oscula funes
Explicet, ac Patriam, Solymas, penetralia magni
Numinis, & quicquid trepidâ vergente ruinâ
Inclinat, nexu sontis, qui regna domosque

Vertit, & in præceps secum rapit omnia, fimet.
Desierat, subitoque truces styx tota cateruas
Corripuit; furor idem animos, furor excitat ignes.
Nec se jam capit ipse, fremunt, ardentque nefandum
Partiri facinus, cuneos obscæna profundi
Inde acies, atque inde, hominum mentita figuras
Ambit, & arcanas jacit in præcordia pestes.
Haud secus æthereo quam cum flagrante tumultu,
In superum coïere Ducem, tumidique proteruâ
Seditione, citas rapuere per astra cohortes,
Præcipitare agiles pugnam, ciet agmina livor
Turbidus, impatiens animat fera classica fastus.
Producit turmas rabies, vesania signum
Pandit & instructis blasphœmia sufficit arma.
Qua celeres torsere gradus, stellata fragore
Machina contremuit, libratique ardua mundi
Nutarunt haud ferre manus dignata rebelles;
At Christus (quid enim cui sors patet abdita menti
Cælicolum & semper voluendi circulus ævi
Arcanas quo cum solitus discernere curas
Qui regit imperiis extructum ingentibus orbem
Nesciat?) horrendæ innumero certamine noctis
Conscius, & crucis & fatorum; ad funera quæri
Abnuit. Impauidus qualis cum vincula laxant
Venantum turmæ canibus saltusque resultant
Latratu fremituque exesi saxea montis
Deserit antra leo, mediisque animosa molossis
Pectora, dum catuli lateant (amor asperat ausus)
Ingerit: Aduersum talis moriturus in agmen
Fertur &; unde viri? cur rapta penatibus arma?
Magnanima virtute rogat. Vox reddita IESVM
Gens ferro iurata petit. Sive aduena collem
Forte subis, seu rura Tuo fœcunda labore
Ciuis habes; comperte Tibi vestigia IESV,
His etenim non vana fides hærere latebris
Abstrusum, tectisque procul traducere noctes,
Ocyus

Ocyus ede. Palam, IESVS quem quæritis adsum,
Ille refert. Nec plura sacer cum tempora fulgor
Ambijt, in cessuque DEVS, vultuque reorum
Idem hominum, idem Erebi Iudex horrente barathro
Enituit, subitoque graui voluuntur in aruis
Prostratæ terrore acies. Iacet obrutus Amram
Pectore Mahusimi, calcat Sobalemq; Iosamq;
Turbato Menalippus eqvo, Iacimus Iudæ
Implicito Bare e laqueis, Anathotus Hebero
Incubat, excussas humeris Tarache pharetras
Colligis, infractos lapsu dum proterit arcus
Malchus & auerso declinat lampada vultu
In caput effusi Tholæ, stupet Appius, & quo?
Quo socij? qui vos rapit error? Inertia vanos
Pellite corda metus, nullas obstare secures
Parthorum nec tela reor. Cui tanta potestas
Exarmare animos, quos fusa per æquora Thule
Horret, & attonito veneratur gurgite Nilus,
Dum loquitur; tremor ossa subit: gelidoq; fatiscunt
Pectora frigore, lapsantemque inopinus Amyntam
Deprimit impulsum fugientis cuspide Tulli,
Sic cœlis funesta manus post bella profanis
Decertata odijs, confusa rubentibus igne
Fulguribus, mistisque polo reboante sagittis
Intorti flammis tonitru, felicibus Oris
Excidit, & glomerata nigris in faucibus Orci,
Cum Duce deuictas gemuit perijsse cohortes.
Iamque repens mugire fragor, ruptisque parabat
Vallibus, & versis opprimere cautibus hostes
Terra, reluctantes iam surgere Caurus in Euros,
Fulminibusque ardere poli, sed mitior iras,
Contentus manifesta sui documenta vigoris
Exeruisse truces verbo sternente cateruas,
Inhibet, ac totis dum turbat collibus agmen
Conatu assurgentum & sæua rotantibus hydris
Vrget Tisiphone dubios; Quem vester in hostem,

Chri-

Chriſtus ait, rapit arma calor? ſtupuere parumper
Ambiguæ euentu turmæ, ſed percitus Actor,
Tela refert Solymæa vides. Latijque maniplos
Præſidis, errantem ſalebroſa per ardua IESVM
Infandum Nazaræ germen per aprica per umbras
Inſequimur. Me poſcis. Ego Nazarenus (Olympi
Occupat extemplo Princeps) ſi tantus in unum
Æſtuat inſontis caput ardor, inermia tendo
Brachia, & in chalybum nexus pectuſque manuſque
Injicio, dum ne qua meos inimica furentum
Vis comites affligat, & in nil triſte merentes
Expiret cœcam rabiem. Vix iſta; reſiſtunt
Confuſæ dubijs acies, pars faſſa repertum
Vincla fremit, pars ancipiti diuerſa tumultu
Eſſe negat; cœtu ſed iam funeſta repulſo
Proditor ora leuat, ſacraſque (obſtate Tonanti
Gens ſuperum famulata) genas humeroſque nefando
Amplexu fœdat Domini, qui perfida vultu
Oſcula deteſtatus in hos abſtruſa recluſit
Corda modos; Quis amice venis? tun' baſia fraudi,
Præſtruis? exitio, pacem? queis perdimur, eheu!
Blanditijs? & quo coeunt tot in arma phalanges?
O ſcelerum veſane labor? funduntur in unum
Deuotæ ferro gentes, ceu prælia Nilus
Apparet, aut validam denſa teſtudine Ioppen
Expugnaturi tendant vexilla manipli
Et tantis nox lecta? Viri quid operta paratis
Prælia? non tenebras fugitiuus ad inuia prædo
Sector, aut exoſus lucem ſquallentibus antris
Inuiſam occulto faciem. Scit ritè quod vſquam eſt
Gentis, & admotæ Cananæis finibus vrbes,
Quæ teſtis mea facta dies, rectorque diei
Sol probet. At cur hæc nimium peregrina reuoluo?
Vos ego. Vos Solymæ ciues, deuotaque ſacris
Agmina, vos quotquot Patrias indagine leges
Diſcitis aſſiduâ (nam quos ſuper iſta recuſem

Vel Hostes ?) appello, nigras num forte latebras
Expetij ! seu templa meis, seu pulpita dictis
Attremerent : Si tanta reum vincire cupido:
Tum decuit, cum larga meo pendebat ab ore
Turba, rediuiuum cum rupto carcere mortis,
Reddidimus superis, cæcique ab origine vultus
Ignotam stupuere diem, cum tabida languor
Pectora, & exhaustos ad jussa relinqueret artus.
Nempe operi, radiata polo dum lumina mundum
Illustrant, instare meum est. vos improba turpes
Nubila, & infames delectant noctibus umbræ.
Hæc sceleri vacat hora; truces audete tenebræ
Non ausum facinus terris. non viribus Orci.
Hæserat attonitus tenus hac super ista gelatis
Sensibus, ac inopina diu respexerat arma,
Ignarus rapidæ quo poneret impetus iræ;
Sed cum sæua manus turpes efferre catenas
Cæperat, & sacros nexu violare lacertos
Infremuit Petrus ac subitos animatus in æstus:
Tantane nos taciti; ferrumque im mune cruoris
Obscæni latus hocce grauet? quin stringimus enses
Dum vacat. & rapidi vincturum sternimus hostem?
Nec mora consiliis; gladio truculenta minatur
Vulnera, & in jugulum Malchi, quem fraudibus atris
Quem rabie seruile genus, fors sordida fastu
Mancipium leue Pontificis corruperat, ictum
Ingerit, ac valido fregisset verbere frontem,
Ni properum lapsæ circum cana tempora morti
Subtraheret caput, aduersam tamen exit in aurem
Impetus, & dextram perstrinxit cuspide malam.
Inde alium legit ille neci. Sed acerba parantem
Reprimit admonitu Christus: Ten vindice ferro,
Quod pater omnipotens, nec dum fulgentibus auro
Sideribus, nec adhuc cingentibus æquora terris
Sanxerat, indomitum contra juvat ire! cruenta
Projice tela manu, qui dira proteruus ad arma.

Provolat; impacta per corda per ossa mach æra
Singultans animam evomet. An mucrone ruebas
Assertum felix cuneis quem millibus ambit
Cœlicolum genus. innumerum stipetur in agmen
Orbis! & emotis infernæ postibus aulæ
Funereæ insiliant pestes! mihi nonne precanti
Subueniet bis sex Genitor legionibus Orcum
Vertere, & ignito cumulare potentibus urbes
Excidio, vel castra suis committere castris,
At pactis stat casta fides! nec fulmine, nostra
Sed nece tempus eget. Iam jam me maximus isto
Inuitat cratere Pater. nec prompta recusat
Exhaurire sitis calicem. Vos cara, sequuti
Turba, Ducem, durate animos testesque laborum
Vadite meque meis quæ posco relinquite fatis.
Dixerat & truncam digitis aptantibus aurem
Restituit, vix tacta cutis; sectumque cojuit
Vulnus & eximio pretium pro munere, funeis
Injiciunt, jam lora manus, & aenea collum
Vincla premunt. chalybumque amplexus pectora nodis
Raptatur per opaca loci, jam gaudia lætum
In murmur cöeunt, victorque ululatus inerrat
Vallibus, inque vicem contra percussa reclamant
Mænia, jam Solymas celeri perlabitur arces
Fama gradu trepidamque quatit rumoribus urbem,
Ducitur hostili, latus omne tegentibus armis
Ille manu, celebri nuper quem concita plausu
Instratos asinâ vectum super ire tapetas
Agnouit stupuitque Sion, quem tanta sequuti
Agmina seu fando clausum reseraret Olympum;
Obscœnam seu forte luem, seu forte dolores
Et letum quod cuncta ferit, rabiemque barathri
Vinceret. Impactis facies tumet inclita pugnis
Et fœdæ liuore genæ, vultumque reuulsus
Crinis obit. Spurcis impune lacessere sannis
Vnus amor captum, linguisque procacibus aures
Impe-

Impetere, hoc una timidi fortesque nec ictu
Abstinet, attractisque pedes urgere catenis
Cui vincto datur ire comes, cui tangere membra
Fustibus, aut versis tergum violare sarissis.
Hic ubi firma diu populatum mœnia flammis
Luraq; & innumeris cumulantem cędibus agros
Samsonem, lectæ procerum de gente cohortes
Fæmineo tenuere dolo, lacerosq; refractis
Orbibus exsculpsere oculos: risere gementem
Oppida, vesanoq; arces fremuere cachinno,
amq; aliqui, dum lucis egens comitisq;, viarum
ancipiti titubante gradu diuortia tentat;
Ludibrio insultant tenebris, subiguntq. rotatas
Triste!) Ducem versare molas, plausuq; theatri
nter & infamem ioca fæda senescere circum
Quam nihil humanæ fas quenquam fidere menti
lu læto micet igne polus! seu tristia surgant
ubila & incertam quatiant vada cœrula puppim!
Quo Domino jurata fides? promptusq; cruentę
Mortis amor? jam sponte retro Thomasq; Petrusq;
ræcipitant, fugit Andreas, mœstumq; Iohannem
estituit vigor illustris, jam conditus antro
artolomæe lates, sed nec mage firma Philippi
orda, nec intactum præter volat ille Simonem
urbo. graueis Matthæe cruces. Thadee sarissas
ente tremis, eademq; subit formido Iacobos,
ic nemoris secreta, cauos petit ille recessus
axorum. Sed torpet iter, falluntq; ruentes
enua viros; motæq; tremunt ad arundinis vmbras,
comites horrent pauidos, & adire timentes
eclinant. damnantq; suas releguntq; latebras,
aud secus ad scopulos vel hiantem stipite quercum
ttur auis cum dirus agit per inania clangor
ulguris & celeres sternunt sata florea nimbi.
At Petrus; vt primum facies truculenta pericli
cidit, haud vltra vmbrosæ se credere nocti

Sustinet.

Sustinet, ambiguæ potior sedet ambitus urbis
Explorare dolos; memorem data pactaMagistro
Sollicitant. Christusque omni manifestus in actu,
Nunc hospes, nunc lata maris prope littora primum
Conspicuus, Victorque hyemis Boreæque Notique
Quantus erat cum strata pedes super æquora siccus
Pergeret, aut stygios sub acerba retruderet hostes
Tartara. diffusa seu Moses luce serenum
Viseret & raptus curru flagrante per auras
Ille Ducum terror vates, seu funera mundi
Et formidandum terra pereunte tribunal
Sponderet :Sed nulla animo obuersatur imago
Acrior. extremo quam quæ sub vespere servo
Exhibet accinctumq; operi plantasq; suorum
Mundantem, licet instanti parere recuset
Officiosus Amor, licet execrabile Iudas
Mente coquat scelus. his turbatus pectora curis
Qua piguit fugisse, redit, dirumque fragorem
Sed longè sequitur. Iamque omne patentibus agmen
Ingreditur Solymis, plateas numerosa coronat
Turba virum; angustatque vias. censetque pudendæ
Noctis opus, diuersa tamen. Fauet ille cruento
Mystarum sceleri, gemit hic tam fœda rependi
Præmia, tot clara meritis, pars credere vinctum
Abnegat extremos alij spectare labores
Vatis auent, lacrymis alii testantur amorem.
Ausus quin etiam medias penetrare cohortes
Quâ datur, inrrepida Iuuenis pietate, quietem
Cui ferus interruptam armorum excusserat horror,
Mox ubi res comperta, levi vix pectora bysso
Tectus in undantes properat, tristesque catenas
Ambit, & aspecti dependet ab ore Magistri.
Nec tuto tamen ista licent. Iam lictor & ensis
Imminet & laqueus, tractoque ærata parantur
Vincula, sed celeres manibus citus explicat artus
Et nudus (nam rapta chlamys) petit avia diræ

Vrbis, ut eluso subitus cadit aucupe mergus.
Digne puer. quem prima canant. quem tarda coronent
Secula, perpetuo quem gloria vestiat auro!
Non ignote puer! quamuis longæua recondant
Nomen & haud vllos signent tua tempora fastos,
Non ignote puer superis! cum verget in ignes
Mundus & vltrices evertent culmina flammæ,
Lætior adspicies, nec nudus in iride, nec jam
Squallentem pedicis. sed maiestate coruscum
Attonitis dare iura reis, ac fulgur in hostes
Spargere quem captum ploras. Te stante cohortes
Diffugient; quas mœste fugis, te stante ruentes
Hauriet exundans rigidis specus infima pœnis.
Horrida nox! stygijs grauior nox fœda tenebris!
Libertas qua vincta perit, qua tradita morti
Vita, DEVM quà nectit homo. sanctoque nocenteis
Insultant. jam mœsta sacri Natura doloris
Qua genteis, terraque patent, qua fulgida cœlo
Signa tremunt, documenta parit, liuere Booten
Miratur refugus lapso diademate Cepheus
Herculei languent humeri, & qui proximus Arcto,
Nubibus intorquet fulgentia pectora serpens.
Nulla regit cynosura rateis, turbata Calisto
Vertitur, & vetitis, qua qua licet imminet vndis.
Inermis caret igne Leo, flet squallida vulsis
Crinibus Erigone. stellantisque aurea libræ
Pondera, & æquatas perfecto examine lances
Abijcit, infestoque minatur Scorpius astro
Dum celer intorques Solymis Centaure Sagittas,
Ipsa faces, hominum sceleri indignata retorquet
Cynthia, luctanteisque retro premit ire iugales,
Immediam ventura diem, mundique tenebras
Lucis iners visura, truci cum tempora nocte
Phœbus, & horrenteis mæsta caligine vultus
Inficiet. Desævit hyems, Latet obsitus æther
Cimmeriæ pallore plagæ, ruptoque citati

Carcere confligunt Boreæ, rapientibus Austris
Æquor, & immiti euersas Aquilone cupressus.
Insurgit modo lenè fluens & gurgite Cedron
Perspicuus, suetasque super tumet impete ripas,
Sed neque vorticibus, nec mole ruentis arenæ
Concitus, obscæno fœdatur sanguine torrens
Spumantemque vehit qua fert via secta cruorem.
Obstupuere animis, nympharum exterrita monstro
Agmina quæque oleis nemorum juga fæta pererrant,
Aut virides propter saltus alludere ripis
Cedronis: ac placido se mergere sveta profundo.
Nec mora: Sollicitæ turbati fœdera mundi
Prodigiique minas, & quæ stata meta furori
Exquirunt. Arcana caui sub fornice montis
Laxatur specus, innumeris cava marmora conchis
Fulgidior, varioque nitet latus omne smaragdo.
Reptilis alga solum, viridis laquearia muscus
Obtegit, & facili cohibentur arundine portæ.
Cedronis illa domus, cursu quo perpete Nymphæ
Deveniunt, jacet ipse comas inhonorus; & urnæ
Immemor abruptas lacerat de pectore vestes
Insolitum plangente manu, sed tristia postquam
Irruit antra cohors, luctus miserata parentis,
Sæuior in lacrymas ac si noua cladis origo
Fert dolor: attonitæ (licet haud manifesta laborum
Causa) gemunt, poscuntque nefas quibus ille trementi
Singultu præfante ferisque ululatibus inquit:
Extremo res summa loco, scelerata cruentas
In sua colla manus gladiis rutilantibus armat
Factio flagranteisque ruit DEVS ultor in iras,
Et versis Nato Solymis, regnique parentat
Funere. Quid picea fuscum caligine cœlum,
Præcipitemque retro Phœben, taboque rubentes
Exhorretis aquas? Iam celsus in æthere Titan
Expertes radiorum oculos squallentibus umbris
Damnabit, dum saxa quatit, terrasque nocentes

Terribili fragor interior diffindit hiatu
Dum fractis animæ bustis truculenta queruntur
Supplicia, ac tristi suffixum stipite Numen.
Iamque instat voluenda dies, qua merget in atras
Disjectam flammas Solymen; matresque peremptam,
Depastas sobolem, cæsi super ora mariti
Vret inhumanus feruente cupidine victor,
Intactasque ad stupra nurus, ad vincla puellas
Abripiet. Latio nec saltem occumbere ferro
Indulget vindex odium; cuneata theatri
Fulminat in captos rabies vastumque per orbem
Ludibrium, dominasque tremit gens vincta secures,
Et populis invisa. Truci nec enim irrita vouit
Carmine Iessiades. Iam regna furentibus ausis
Polluerat rapto nitidus diademate crines
Absolon: & sancti in iugulum converterat ensem
(Heu facinus crudele!) Patris. fugit ille minaceis
Insidias, vrbemque suam (meministis) In ima
Dum propior conualle meas circumspicit vndas;
Concipit arcanum commoto pectore Numen,
Et subito avulsæ residens in fragmine rupis
(Exulis hoc solium) comitum mirante catervâ
Incipit. Eximiæ mentes, quas turbine cœco
Sors probat, afflictoque Duci pietasque fidesque
Conciliant, laudisque hominum nihil indiga virtus,
Ne fletu violate diem! non vulnera tanti
Nostra reor. rapiat Solymos, victoque nefanda
Incubet imperio proles! Vesania maior
Imminet, atque alias poscit terrasque polosque;
Rex melior lachrymas. Quo te precor alma Tonantis
Progenies? quo cogit amor? quis me impetus ævi
Abripit in seriem? trepidoque ignota recludit
Secula? Ten' video Sanguis meus? ite revulsis
Arboribus vmbrate vias, date lilia gentes,
Nexilibus date serta rosis! Hosanna! Deorum
Ille DEVS, DEVS ille venit. DEVS ipse volentem

 Destinat

Destinat auxilio miseris! proh! stulta Sioni
Mens hebet! innumeris optatum perfida votis
Negligit; vt celsam rejecto marmore turrim
Qui scrupo informi ac bibulâ molitur arenâ,
Nec peregrina tuam scrutantur tela salutem
Hostilisque chalybs? gratum simulatûs amicum,
Stringet in haud sontem gladios, qui templa subibat
Proximior lateri, dape quem dignatus herili
Gratuitas inter mensas, ten' tradere letho
Sustinet? heu tuus Achitopel! sed fæda querentem
Nox manet, & viuum refluis styx horrida flammis.
Ergo sacium tremor in pectus terrorque timorque
Irruet, atque Erebi densis mors septa tenebris
Dum laqueos dum vincla trahunt, qui subdola fraudum
Fundamenta locant, animamque immergere morti
Intensis ardent studijs. Te dira Leonum
Concilia, indocilesque regi moderamine Tauri
Stant circum, & vincti rabidis obsessa molossis
Corda premunt, raptumque per hæc loca mœsta fatigāt
Ne lacrymis turbare meis, queruloque gementem
Murmure sollicita Cedron, cum (flebile) cernes
Ire catenatum refugo prope gurgite Numen.
Sanguineis tum cresce vadis: tum pectora tunde
Planctibus, objectâ tum diripe percitus vrnâ
Serta comis. Heu! flagra DEO! diuulsa cruentant
Terga canes, Hunc Vosne Hominem, qui tetrior ægro
Verme, sub instanti pede voluitur, & languescit,
Iam clauis affixa manus, iam brachia flagris
Læsa rigent, laceras terebrant retinacula plantas
Ferrea, divulso pellucent corpore nexus
Membrorum. Interea miseri spolia vltima, vestes
Sorte trahunt, fædoque truces moritura cachinno
Pectora pertentant, diductis impia labris
Ora fremunt, caput hic motat, iacit iste lacertos.
Despuit ille graues lacrymas, dum sibila rosichis
Mista volant. En cara polis, en lecta Tonanti
Pignora

Pignora! quę super usq; Dei fiducia? leto
Eruat infami Te si potis Ille parentem
Quem stolida tibi mente putas. quis me ille per astra
Turbo rapit? quę sese animis, quam tristis imago
Ingerit? Ecce cruor faciem, cruor ora genasque,
Membra cruor, merus ecce cruor premit inclita quondam
Lumina & innumero de vulnere corpus inundat
Vulneribus patulum cruor, ut cita lympha perenni
Fonte cadit. Stat mortem inter Patriumq; furorem
Desertosq; gemit summo discrimine luctus
Terrarum cœliq; Sator, sed flamma medullas
Corripit & lento depascitur igne vigorem
Pectoris exanimi. haud aliter destillat in atros
Cera rogos, fractæq; arent per hiantia testæ
Littora cum grauidas coquit alta canicula messes
Ipsam expirantis, tetro gens barbara torquet
Felle sitim, & letho gelidos desæuit in artus.
Ne tamen Assyrijs sacrum irrorate cadauer
Mercibus, aut succis Cylicum; procul ardua tumbæ
Cura nec obscuro longum requiescet in antro
Nec caries, tumulique situs vitiare sepultum
Audeat. En fracto rediuivum Acheronte, phalanges
Æthereę circum volitant. Celebrate triumphos
Numinis inuicti festoq; insignia plausu
Carmina & argutis superi distinguite nervis.
Iubila io! io! iubila io! fremuere tubarum
Augusto clangore poli fremuere remota
Littora, fulguribus cœlum rutilare serenis
Conspicio, dum regna Deus suprema capessit
Dexterior Patri ęquæuo pedibusq; subactos
Calcat & attonitos flammas displodit in hostes.
At tibi quam rabiem, quæ digna furentibus ausis
Imprecer infelix Solyme? quis acerba nefando
Supplicia indicet sceleri, vulsamq; per auras
Sparget & hostili muros inuertet aratro?
Huc si qua est vindicta, enses armata necemque

Ingruat, & dira fauces tibi ſtrangulet eſca,
Inſanam vel cæde famem lactentis alumni
Præuortat, matrem crudis tener impleat infans
Viſceribus, nox atra oculos, nox horrida mentes
Perpetuo ſquallore premat. Iuga ferrea collo
Injice ſeruilisq; arctet fera turba cataſtas.
Huc rapidos iratum imbres rutilosq; triſulco
Fulmine Diua globos, & fœtum ſulphure nimbum
Deplue. terribilis correpta palatia victor
Ignibus, exciſasq; arces aulasq; ſaxis
Saxa ruat. mors peſtifera tamen ante ſagitta
Scrutetur latebras animarum, & denſa coronent
Supplicia infami ſquallenteis funere colles,
Obſcęnaq; grauis ſanie, per marcida, Cedron,
Corpora & ingeſtos eineres luctantibus vndis
Quęrat iter. Tum ne qua manus collapſa reponat
Mœnia; terrificis vaſtos horroribus agros
Diua tene. non arua ferant, non vlla coloni
Tecta locent, virides potius mihi terra colubros
Nutriat. & dirus per rudera ſibilet anguis.
At populo, populum ſi quem ſupereſſe furori
Fas iubet; accumula eladem ſcelerumq; recentes
Antiquis adſcribe notas, nec fœdere ſacro
Impurum dignare genus, ſed nomina faſtis
Illuſtreis ques vita animas rectiq; tenaces
Incidit (qua fata ſinunt) erade reorum.
Talia perſtabat lachrimans oracula Cedron
Egelidis torrente fletu renouare Napeis.
Tum fletu violare genas, tum ſcindere vultus
Vnguibus, & vulſos manibus lacerare capillos
Inſtituunt, nec ipſe cavo deſeuit in antro
Plorantum fremitus: querulæ iuga celſa pererrant
Et nemora & ſaltus nemorum, gemuere remota
Littora, & incuruę plangentes pectora ripę.

LESNÆ
TYPIS DANIELIS VETTERI.

Benevole Lector.

VIx impudentius quid, sed neque magis solemne hac tempestate, quam præli vitium, imputare Autori. Ipse hanc pestem sæpe mihi adversam expertus obnixè precor ne mutata per incuriam librariorum, litera vel interpunctio te offendat. quæ parum cavit eorundem celeritas, sic emenda. p. 6. v. 34. tristor tristior, p. 10. v. 24. religione, relligione, p. 14. Descipiunt, Despiciunt. v. 17. gentem, gentemque. p. 20 v. 26. anfranctibus, anfractibus. p. 22. v. 23. Patris, Patri. p. 26. v. 11. præcepit i, præcipiti. p. 27. v. 3. properant, properanti. p. 30. v. 31. tremule, tremulæ. p. 31. v. 10. quoque sortibus dele quoque & scribe sortitibus v. 28. mirantur, mirentur v. 31. cesariæ, cæsarie. v. 37. salinam, salivam. p. 31. v. 21. tortumque, tortum. p. 36. 28. adversantem, aversantem.

Vale & quæ alibi de Veterum Iudiciis Publicis polliciti sumus, quam primùm DEus nos atq; ocium respexerit, expecta.



